BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Forer, Laurenz

Qvaestio Vexata, Ac plusquam integro saeculo agitata, & nunquam ab Aduersarijs soluta, Vbinam Terrarvm Ac Gentivm Fverit Ante Lvthervm, Zwinglivm, Et Calvinvm, Protestantivm Ecclesia
Bd.: 1

Ambergae (1653)

Polem. 1022
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10773560-9
VD17 12:108319L

Collegij Societatis JESU Monachij. 1654.

QVÆSTIO VEXATA,

Ac plusquàm integro sæculo agitata, & nunquam ab Aduersarijs soluta,

VBINAM TERRARVM AC GENTIVM FVERIT

Ante

LVTHERVM, ZWINGLIVM, ET CALVINVM,

PROTESTANTIVM ECCLESIA.

PARS PRIMA.

Auctore

LAVRENTIO FORERO

Soc. JESV, SS. Theologiæ Doctore.

Cum Facultate Superiorum.

AMBERGÆ,
Apud Georgium Haugenhofer,
ANNO M. DC. LIII.

127 B5 B5 dux

DISSERTATIO
VERSATILIS,

An plusquam integro seculo agitata, & nunquam ab Adversariis soluta,

PRIMAM TERRARUM
AC GENTIUM FIDEM
LUTHERUM ZWINGLIUM,
ET
PROTESTANTIUM
ECCLESIAM,

TARS PRIMA.

Auctore

FAVRENTIO FORERO
Soc. JESU, SS. Theologiæ
Doctore.

Cum Facultate Superiorum.

AMBERGÆ,

Apud Georgium Haugenhofer,

Anno M. DC. LIII.

Bayerische Staatsbibliothek München

SERENISSIMO PRINCIPI
AC DOMINO,

DN. PHILIPPO WILHELMO,

COMITI PALATINO RHENI, DVCI BAVARIÆ, JVLIÆ, CLIVIÆ ET MONTIVM, COMITI IN VELDENZ, SPONHEIM, MARCK, RAVENSPVRG & MOERS, DOMINO IN RAVENSTEIN, &c.

Domino meo Clementissimo.

SERENISSIME PRINCEPS,
DOMINE CLEMENTISSIME.

Mirabitur fortasse primâ fronte Serenitas vestra, *me QVÆSTIONEM VEXATAM, ad semper Serenissimos mihi, notissimósque postes affigere. Quis enim ab hoc* Nomine *non ita grato, lucrum aliud expectet, quàm*

Vexationem, *meæ* Quæstioni *cognominem? Cùm namque, juxta vetus verbum*, semper malum sit propter vicinum malum; *Vuáque conspecta liuorem ducat ab vua, annon metuendum est, ne* Vexata *mea* Quæstio, *liuens sui nominis malum etiam traijciat in vicinum? Quis autem iurganti* Vexationi *lubentem se subiecerit? Et tamen est Diuinus Vates, qui cœlesti ore dicat:* Tantummodo sola vexatio dabit intellectum auditui. *Vtinam ergo hæc* Vexatio *intellectum daret, & oculos aurésque ad agnoscendam fidei veritatem aduersarijs nostris aperiret! Memini quidem Eremitam quendam, cum vel in Dæmonem tentantem, vel in carnem titillantem sæuiret, dicere solitum,* Vexo vexantem me: *Ego verò*

Isaiæ 28 v. 19.

rò Quæstionem *hanc, istâ mente, typo non dedi, vt vllâ vexatione ac molestiâ, quorum bono laboraui,* Protestantes *afficerem. Quos enim omnes in Christo* IESV *medullitus amo, &, vti me, saluos esse percupio, nec nomine, nec re huius lucubrationis, læsos esse volo. In aperto nimirum est huius* Operis Nomenclatio. *Etenim quia jam centum & ampliùs anni sunt, quibus hæc Quæstio* (Vbinam Protestantium Ecclesia ante Lutherum fuerit?) *continuè magnis animorum, calamorúmque conflictibus agitata fuit, & acerrimè vtrinque vexata, ac necdum sanè omni vexatione liberata, meritò mihi, præ alijs, hoc nomine* Quæstionis vexatæ, *vtendũ censui. Quam proinde* Vestræ Serenitati *tanto maiore fiduciâ dedico, quanto firmiore memoriâ teneo, â* Sereniſſi-

mo *Illius Domino* PARENTE; *meum Anti Molinæum peræquè* ſerenâ *placidáque fronte fuiſſe ſuſceptum. Quia verò in vultu filiorum, forma parentum relucet, non dubitabo,* Sere-nitatem Veſtram *à ſereniſſimis Parentibus inſignitè Catholicam, hunc ſenectutis meæ laborem, omnibus veri amantibus vnicè impenſum, ſereniſſimis quoque oculis, animóque dignaturam. Cæterùm ex intimis præcordijs Serenitati Veſtræ S. Auguſtini verbis precor & opto* vitæ præſentis ſolatia, & præmia futuræ. *Veldkirchij, ex Reſidentia Soc. JESV, 27. Jan. die S. Joanni Chryſoſtomo ſacro. 1653.*

Serenitatis Veſtræ

Humillimus in Chriſto & indigniſſimus Seruus.

Laurentius Forerus S. JESV.

IN-

INDEX.

INDEX IN QUAESTIONEM VEXATAM:

Præfatio ad Lectorem.

RATIONES DVBITANDI.

I. Ratio. Ex Protestantium *notorio* discessu ab Ecclesia Pontificia.

II. Ratio. Ex propria Confessione Lutheri, & aliorum Protestantium.

III. Ratio. Ex notis Ecclesiæ, quas assignant ipsi Protestantes.

IV. Ratio. Ex frustraneo studio Protestantium inquirendi suam Ecclesiam ante Lutherum.

V. Ratio. Ex impossibilitate apud Protestantes ostendendi legitimam Vocationem & Successionem continuam suorum Doctorum & Ministrorum ab anteriore Ecclesia Apostolica.

VI. Ratio. Ex Judicio totius Ecclesiæ orthodoxæ antiquæ de præscriptione aduersus hæreticos.

VII. Ratio. Ex conuersione Infidelium, qualem in sua Ecclesia protestantes factam esse ante Lutherum nequeunt ostendere.

VIII. Ratio. Ex eo, quòd iisdem Principijs, quibus in genere probant Lutherani suam Ecclesiam, omnes etiam aliæ Sectæ probent suam.

THEOREMATA.

I. Theorema. Christum in terris reliquisse Ecclesiam, cum qua omnes coniungi necessariò debeant, quicunque cupiunt salui fieri, ita vt extra illam saluari nemo possit.

II. Theor. Ecclesiam à Christo ad salutem hominum relictam, non esse nisi VNICAM.

III. Theor. Ecclesiam hanc necessariò esse Visibilem & conspicuam, ita vt agnosci & inueniri possit.

IV. Theor. Ecclesiam hanc à tempore Christi huc vsque visibiliter semper durâsse, & vsque ad finem mundi duraturam esse.

V. Theor. Hanc visibilem Ecclesiam, quoad

quoad doctrinam in fide & moribus esse infallibilem, & errare non posse.

VI. *Theor.* Ordinariè nullam esse legitimam vocationem & successionem ministrorum Ecclesiæ, nisi per veram visibilem Ecclesiam.

VII. *Theor.* Ad salutem consequendam non satis esse, si quis in aliquibus fundamentalibus articulis cum Apostolica Ecclesia consentiat, sed necesse esse, vt in omnibus cum illa conspiret.

GENERALIA EFFUGIA PROTESTANTIUM CONTRA RATIONES DUBITANDI.

Effugium I. Protestantes retinuisse antiquam fidem, & tantùm nouitates superinductas pontificias abstuliſſe.

Effug. II. Se habere fidem SS. Marryrum Thebæorum, Felicis & Regulæ.

Effug. III. Ecclesiam Protestantium ante Luthèrum latitâsse in solitudine.

INDEX.
Effug. IV. In omnibus locis fuisse Protestantium Ecclesiam, in quibus viguit Apostolica doctrina in sacra Scriptura expressa.
Effug. V. Satis esse, si demonstrent, Papistas defeciisse à Regula fidei.
Effug. VI. Hoc postulatum, vbi nam fuerit Protestantium Ecclesia, repugnare ipsis Catholicis.
Effug. VII. Ex ipsis Catholicorum scriptis probari Lutheranorum Ecclesiam non esse nouam.
Effug. VIII. Ecclesiam Protestantium fuisse mulierem illam apocalypticam, quæ fugit in solitudinem.
Effug. IX. Fuisse singulis sæculis Doctores, qui Protestantium Fidem docuerint, sed tyrannide Papæ monumenta ipsorum esse suppressa.
Effugium X. Protestantium Ecclesiam semper fuisse, quia semper fuerint aliqui Electi.

EFFVGIA PARTICVLARIA CONTRA VISIBILITATEM ECCLESIÆ.

Effug. I. Ecclesiam in Symbolo credimus:

mus: Ergo non videmus: ergo non est visibilis.

Effug. II. Ecclesia abstrahit à loco & tempore. Ergo non est visibilis.

Effug. III. Etsi Protestantium pastores ante Lutherum incogniti fuerunt, non sequitur tamen illos non fuisse.

Effug. IV. Tempore S. Hilarij Ecclesia vera fuit inuisibilis: visibilis enim facta est tota Ariana.

Effug. V. Ecclesia constat ex solis prædestinatis; Ergo est nobis abdita & incognita, adeóque inuisibilis.

Effug. VI. Veram Christi Ecclesiam oportet esse perfectam & sine macula. Talis non est vsquam visibilis.

Effug. VII. Christus Lucæ 17. ait: Regnum Dei non venit cum obseruatione.

Effug. VIII. Fides vera interna est animæ Ecclesiæ, hæc non videtur. Ergo nec Ecclesia.

Effug. IX. Ecclesiam esse visibilem ratione externæ Societatis; non autem ratione internæ.

Effug. X. Visibilitas non est de ratione formali Ecclesiæ, sed tantùm adiunctum, quod separari ab ea potest.

Effug. XI. Protestantium Ecclesiam sub Papatu semper extitisse: Licet in papatu non manserit externa puritas Verbi: mansit tamen interna. jta Melch. Nicolai.

EFFUGIA CONTRA INFALLIBILITATEM ECCLESIÆ.

Effug. I. Contra illum locum, 1. Tim. Columna & firmamentum veritatis. ex Meysarto.

Effug. II. Contra illa verba: Portæ inferi nõ præualebunt, &c. Matth. 16.

Effug. III. Contra illa, Joan. 14. alium Paracletum dabit vobis.

Effug. IV. Contra illa: Ecclesia est corpus & Sponsa Christi, &c. ad Ephesios. cap. 1. c. 4. & 5.

Effug. V. Contra illud Esaiæ, 59. Hoc fœdus meum cum eis, &c.

Effug. VI. Contra illud, dic Ecclesiæ, &c, Matth. 18.

INDEX.

Effug. VII. Contra illud Pauli, dedit quosdam Apostolos, &c. Ephes 4.

EFFUGIA CONTRA ARGUMENTUM EX ILLEGITIMA VOCATIONE MINISTRORUM.

Effug. I. Brochmandi.
Effug. II. Brencij.
Effug. III. Philip. de Mornay & Dorschei.
Effug. IV. Caluini.
Effug. V. Joan. Gerardi.
Effug. VI. Photinianorum, maximè Ostorodi.
Effug. VII. Melchioris Nicolai contra speculum Brandeburgicum.

EFFUGIUM SPECIALE MELCH. NICOLAI DE VOCATIONE LUTHERI.

§. *I.* Quæ sit sententia Lutheranorum de Vocatione Lutheri?
§. *II.* Quid ex hac sententia Lutheranorum Catholici concludant?
§. *III.* Quid Melchior Nicolai respondeat?
§. *IV.* Oppugnantur Melchioris asserta.
§. *V.* Ali-

INDEX.

§. V. Aliud telum Melchioris.

§. VI. Retunditur telum Melchioris.

§. VII Quam vim habeant testimonia Lutheri à Melchiore adducta.

§. VIII. Probatur directè Lutherum nullo modo fuisse immediatè vocatum à Deo.

§. IX. An iure à Luthero & Protestantibus pro stabilienda vocatione exigantur Miracula?

§. X. Quid opponant Protestantes de miraculis.

Oppositio I. Protestantium & Lutheri doctrinam non fuisse nouam.

Oppositio II. Miracula non habere necessariam connexionem cum vocatione immediata.

Oppositio III. Miracula non adstruere certam fidem Vocationis.

Oppositio. IV. Etiam Lutherum patrâsse miracula.

Oppositio V. Joannem Baptistam immediatè vocatum à Deo, & non patrâsse miracula.

Oppositio VI. De Luthero extare vaticinia duo in apocalypsi, quæ sint instar miraculi, Item repertam esse

statuam

INDEX.

ſtatuam dudum ante Lutherum, cum *Luteri* nomine. Præterea Joannem Huſſum de illo prophetâſſe.

Oppoſitio VII. Duplices eſſe Prophetas, &c.

EFFUGIA CONTRA CONTINUAM SUCCESSIONEM.

Effug. I. Melchioris Nicolai. Eccleſiam eandem poſſe eſſe, vel ratione ſubſtantiæ, vel ratione accidentium puritatis & impuritatis.

Effug. II. Petri Haberkorn & Joan. Gerardi, de Succeſſione Temporis & loci, & de ſucceſſione doctrinæ.

Effug. III. De Huſſo, Waldenſibus, pauperibus de Lugduno, infantibus & moribundis, quibus proteſtantes ſucceſſerint.

Effug. IV. Dorſchei, de ſententia S. Auguſtini, ex epiſt. Fundamenti, Tenet me in Eccleſia, &c.

Effug. V. Philip, de Mornay ex Tertulliano, &c.

EFFV-

INDEX.

EFFVGIVM SINGVLARE MELCHIORIS NICOLAI DE CONVERSIONE INFIDELIVM.

Quæstio, ad quam Ecclesiam ex Dei præcepto infideles saluari cupientes confugere debuerint, ante Lutherum? Respondet Melchior, ad Pontificiam.

EFFVGIVM ALIVD SINGULARE DORSCHEI DE PRÆSCRIPTIONE ADVERSVS HÆRETICOS.

Effugium, Ophthalmo-politani, prædicantis Augustani de communibus Sectariorum Principijs.

Epilogus.

Bayerische
Staatsbibliothek
München

AD LECTOREM.

QUÆSTIO VEXATA

Plus quàm per integrum ſæculum; & nunquam ab Aduerſarijs ſoluta.

VBINAM TERRARVM AC GENTIUM FUERINT PROTESTANTIUM ECCLESIÆ

Ante Lutherum, Zvvinglium, & Caluinum?

Ad Lectorem.

VM jam in Mundo tot, támq; diuerſæ, & inter ſe pugnantes ſint Eccleſiæ, quæ omnes Chriſtiano nomine gloriantur, & tamen fieri non poſſit, vt aut omnes ſint verę, aut in qualibet earũ nobis liceat aſſequi ſalutem, ſummi momenti eſt, vt ſciatur, quænam ex his ſit vera Chriſti Eccleſia, cui nos coniungere, & in qua mori debeamus, vt ſalui ſimus. Nominatim autem de Lu-

therana, Zvvingliana, & Caluiniana *celebris eſt multúmq;* Vexata Quæſtio; *VBINAM FVERINT horum* Proteſtantium *Eccleſiæ, antequam Lutherus, Zvvinglius, & Caluinus naſceretur? ſi enim oſtendatur, illas NVS QVAM fuiſſe, etiam oſtenſum, meo judicio eſt, illas tunc NVLLAS fuiſſe; &, ſi NVLLAE fuerunt, jam veras Eccleſias eſſe non poſſe. Vt autem hæc omnia clariora fiant, principio aliquas* Rationes dubitandi, *aut* inquirendi, *proponemus: deinde quædam ad rem facientia* Theoremata *ſubijciemus demum ad Proteſtantium* Effugia, *cum Bono Deo reſpondebimus.*

Cur autem huic Tractatui nomen Quæſtionis Vexatæ *impoſuerimus, in promptu causa eſt, nec mirabitur Lector, ſi intelliga etiam ipſis Proteſtantibus non inſuetum eſſe, vt huiusmodi* Quæſita, *quæ creberrimè, & diutiſſimè agitantur,* Quæſtiones Vexatas *vocitent, vt videre eſt, &* Quæſtionibus Vexatis *Balthaſaris Meiſneri & in* Caluiniſmo Irreconciliabili *Johannis Hülſenmani, fol. 155. & fol. 176.*

RATIO

RATIONES DVBI-TANDI.

PRIMA RATIO

Ex Proteſtantium notorio diſceſſu ab Eccleſia Pontificia.

Notorius diſceſſus Proteſtantium ab Eccleſia Pontificia.

NOtiſſimum eſt ex Hiſtorijs, Maiores Proteſtantium ferè ab hominis memoria, vnà cum Luthero, Zvvinglio & Caluino, fuiſſe Pontificiæ Eccleſiæ membra, & in illa Baptiſmum, aliáque Sacramenta ſuſcepiſſe, Catechiſmum, Orationem Dominicam, Symbolum Apoſtolorum & Decalogum didiciſſe, eandémq; fidem cum illis profeſſos eſſe: poſtea verò EX ILLA Eccleſia, per publicam defectionem, EXIISSE, aliásq; Eccleſias SEPARATAS, & peculiares inſtituiſſe, quales ad id vſq; tempus antea nuſquam conſpectæ, aut cognitæ in Orbe fuerunt.

De Luthero, qui fuit totius huius *Novitatis* Anteſignanus, eſt res compertiſſima. Fuit enim is natus Iſlebiæ in Comitatu Mansfel-

denſi, Anno 1483. 10. Nouemb. (vt teſta
tur Abraham Buchholzerus in Indice Cro
nol.) Patre Joanne, Matre Margaretha, vtro
que Catholico, ſicuti & totus ille Comita
tus tunc fuit Pontificiæ religioni addictus
poſtea exactis primæ adoleſcentiæ annis, &
poſitis in Magdeburgenſi & Iſenacenſi Gym
naſio humaniorum litterarum fundamentis
ad Iurisprudentiæ ſtudium animum appli
cuit, & cùm ſocius ambulationis fulmine ta
ctus, ad latus illius corruiſſet, territus Luthe
rus, Eremitarum Auguſtinianorum ſodalitat
nomen dedit in cænobio Erfordienſi, anno
21. ſuæ ætatis: pòſt, anno 1517. contra *In*
dulgentias & *purgatorium* diſputans, Eccleſiæ
Romanæ bellum indixit. Vide etiam Cen
turias Lucæ Oſiandri: Laurentium Surium
in hiſtoria illius ſæculi & alios.

Huldrichus Zvvinglius *apud Toggienſes*
Heluetios, in oppido zum Wildenhauß / *Cal. Ian.*
anno 1484. eſt natus; inquit idem Buchholze
rus ibid. quo tempore tota illa regio quoqu
Catholica fidem noſtram coluit. Poſtea eru
ditus litteris Glaronæ & in Eremo B. V. Pa
ſtorem egit, donec Tigurum veniret, & *ib*
primam concionem Euangelicam haberet, Anno
1519. teſte eodem Buchholzero, de quo plu
ra Stumpfius in Hiſtor. Heluetica.

Ioannes Caluinus, *Theologus Geneuenſis*
10. Julij, anno 1509. Nouioduni celebri Vero
man-

manduorum oppido natus est, ait idem Buchholzerus, quo etiam tempore non nisi Pontificia Religio viguit in illis partibus: vt proinde in Pontificia Ecclesia & à Catholicis parentibus genitum & educatum fuisse prorsus indubitatum & certissimum sit, nec diffitetur id Andreas Riuetus in Catholico Orthodoxo, fol. 16. & seq. vbi plura de vita Caluini.

SECUNDA RATIO

Ex propria Confessione Lutheri & aliorum Protestantium.

IPsemet Lutherus fassus est suam fidem fuisse *Nouam*, cùm eam in publicum spargere inciperet, & ante id tempus per complura sæcula inauditam. *Quoniam*, inquit, (*in breui Confessione de Sacramento*) *doctrina hæc nostra NOVA, & supra modum scandalosa erat per vniuersum Orbẽ, peaetentim progredi cogebar, & propter infirmos multa concedere, quod posterius non feci.* Item, *Ego neminem scio, qui de fide & operibus rectè iudicare potuerit, exceptis Apostolis, &c. In cæteris libris id nequaquam inuenitur, vt ita mirum non sit, eam doctrinam nostris temporibus adeò perijsse & extinctam fuisse*, & rursum: *Solus primò eram, & certè ad tantas res tractandas ineptissimus & indoctissimus.* & lib. *Propria Confessio Lutheri & aliorum.*

contra Regem Angliæ, *Ego* inquit, *Scripturam ſacram & verbum Dei ita in lucem protuli, vt à mille annis nusquam fuit.* Et in Epiſt. ad Argentinenſes, anno 1525. *Chriſtum à nobis primo vulgatum audemus gloriari.* Equidem ſi SOLVS, & primus Lutherus talia docuit quid ſequitur, niſi quòd ante ipſum, ad Apoſtolos vſq;, nemo alius talem doctrinam tradiderit, adeóque quòd toto illo tempore NVLLA vſquam Eccleſia in Orbe fuerit tali Fidei & Doctrinæ, qualem Lutherus docuit alioquin ipſe *primus* & *ſolus* in hoc negotio non fuiſſet.

Et hanc laudem tribuunt paſſim ipſimet Proteſtantes Luthero, quem propterea ſupra ſidera tollunt, præſertim Lutherani in Concionibus & Orationibus *Iubilaribus*, quas anno 1617. in honorem Lutheri paſſim habuerunt, & Typis euulgârunt, non ſine ingenti tripudio, & commendatione Maiorum ſuorum, quòd Papatum & falſa Dogmata, falſósq; Doctores deteſtati, *Eccleſiam malignantium* deſeruerint, de Babylone exierint, & actum *reformandæ Religionis*, vnde & *Reformatis* dici volunt, aggreſſi fuerint.

TER

TERTIA RATIO

Ex notis Ecclesiæ, quas assignant ipsi Protestantes.

PRotestantes omnes asserunt NOTAS Ecclesiæ veræ ESSENTIALES esse *puram prædicationem verbi, & legitimam administrationem Sacramentorum.* Ita Augustana Confessio art. 7. & Apolog. ibid. Caluinus lib. 4. Instit. c. 1. n. 11. Ioan. Gerardus in Confess. Cathol. lib. 2. fol. 1122. de notis Eccl. alijq; tam Lutherani quàm Caluiniani. Sed ante Lutherum, Zvvinglium & Caluinum nusquam in toto Orbe fuerunt hæ *Notæ*; *quia nusquam fuit publicè talis prædicatio Euangelij, & talis administratio Sacramentorum*, qualis nunc est in Ecclesijs Protestantium; in quibus solis aiunt purè Euangelium prædicari, & rectè Sacramenta administrari. Ergo in toto Orbe tunc nusquam fuit vlla talis Ecclesia, qualis nunc est apud Protestantes. Quia Ecclesia sine sua essentia & sine essentialibus Notis non est Ecclesia, vt rectè Ioan. Gerardus lib. 2. Confess. Cathol. fol. cit. & fol. 1125. n. 2. inquiens: *Hæc nota* (scilicet pura verbi prædicatio, &c.) *Ecclesiæ soli & semper conuenit. Verbum enim est velut anima Ecclesiæ.* & n. 4. *ab Ecclesia separari nequit.* & V Villetus Anglo-Caluinista in synopsi, f. 71.

Notæ essentiales à Protestantibus ipsis assignatæ, illis desunt.

Hæ notæ ab Ecclesia abesse non possunt. Neq; enim amplius Ecclesia est, si has Notas non habeat. & fol. 69. Harum Notarum defectus facit NVLLITATEM Ecclesiæ.

QVARTA RATIO

Ex frustraneo studio Protestantium inquirendi suam Ecclesiam ante Lutherum.

Sisyphi Saxum volunt Protestantes in quærenda sua Ecclesia & Successione.

IAm plusquàm per integrum sæculum Protestantes à nobis solicitati, omnem lapidem mouerunt, omnésq; Orbis angulos & anteriorum temporum ætates excusserunt, accuratissimè perquestigantes, vbinam possent inuenire, non dico Prouinciam, Vrbem, aut pagum, sed vel rusticam casam, in qua suam fidem, quemadmodum nunc docetur, publicè fuisse traditam in omnibus articulis, legitimè demonstrarent, sed hactenus nec locum nec tempus inuenerunt, aut ritè demonstrârunt. Ergo, &c. Probatio huius, in progressu liquebit ex ipsorum miserrimis effu-

gijs.

QVINTA RATIO

Ex impossibilitate apud Protestantes ostendendi legitimam vocationem, & successionem continuam suorum ministrorum & Doctorum, ab anteriore Ecclesia Apostolica.

SI Ministri & Doctores Ecclesiæ Protestantium non possunt demonstrare vllum hominem aut vllam Ecclesiam anteriorem, quæ ante Lutherum continuâ successione ab Apostolis descenderit, ac legitimè Lutherum, Zvvinglium, & Caluinum ad hanc suam fidem publicè docendam & Prædicandam miserit & vocauerit, tunc Protestantium Ecclesia, est prorsus *Noua* Ecclesia, & ante Lutherum nusquam & NVLLA fuit; sed verum est antecedens, Ergo & consequens. Sequela Maioris probatur I. Authoritate omnium Orthodoxorum Patrum, qui constanter hoc argumento contra omnes hæreticos vsi sunt, quòd nimirum illorum doctrina non possit esse vera, vtpote continuâ successione ab Apostolis destituta, ac proinde NOVA inter Christianos: Sic Tertullianus lib. de præscript. manifestè dicit id *extraneum & falsum esse, quod posteriùs sit emissum.* Item, *Vbi tunc Marcion? Vbi tunc Valentinus?* Sic nos quoque quærimus: Vbi

bi tunc Lutherus? Vbi Caluinus? *nam constat illos* (inquit Tertullianus) *neq; adeò olim fuisse Antonini ferè*, (nos dicimus, Rudolphi I. imò Maximiliani I.) principatu, &c. probatur 2. ratione, nam vbi nulla est legitima successio, ibi non est legitima vocatio Ministrorum, nullâque legitima administratio Sacramentorum, aut verbi prædicatio: hæc omnia autem deficiunt in Protestantium Ecclesia. Ergo Ecclesia Protestantium ante Lutherum, & nusquam & nulla fuit: Ergo post Lutherum est noua & falsa Ecclesia, vnde Protestantibus verissimè potest dici, quod Optatus Mileuitanus dixit Donatistis, lib. 2 contra Parmenianum: *Filij sunt absque Patre & sequentes sine antecedentibus.* Et S. Cyprianus lib. 1. Epist. 6. *Pastor quomodo haberi potest, qui neminì succedens, & à seipso incipiens, alienus sit & profanus?*

SEXTA RATIO

Ex Iudicio totius orthodoxæ Antiquitatis de Præscriptione aduersùs hæreses.

Præscriptio Catholica aduersùs Protestantes ex PRIORITATE, &c.

COnstans sententia Ecclesiæ & SS. Patrum aduersùs Nouatores semper fuit illam fidem, aut illam Ecclesiam, sub Christiano nomine, esse nouam & falsam quæ ab alio Christianorum Cætu priori *exiit* quæque alijs Ecclesijs Christianis *posterior*, ab ijsdem *impugnata* fuit.

Se

Sed hæc omnia dici possunt de Ecclesijs Protestantium, vt ex dictis patet; Ergo illæ sunt Ecclesiæ Nouæ & falsæ: quia ante Lutherum, Zvvinglium & Caluinum (quo tempore primùm inceperunt) Nusquam & nullæ fuerunt, & cum istis authoribus primùm inceperunt: à priore autem Catholica Pontificia, ipsa Protestantium posterior Ecclesia, statim ab ortu suo impugnata fuit, vt docent Bullæ Pontificiæ, Libri contra Lutherum ab Eckio Roffensi, & alijs scripti. Maior probatur testimonijs Patrum apud Bellarminum lib. 4. de Notis Ecclesiæ. cap. 4. & 9. & toto libro Tertulliani de *Præscriptionibus aduersùs hæreses:* Vincentij Lirinensis, c. 4. & 5. S. Iren. M. l. 3. c. 4. qui vt Valentinianos & Marcionitas ad Ecclesiam non pertinere ostendat, ait: *Neq; enim Congregatio fuit apud eos, neq; Doctrina aliqua instituta. Ante Valentinum enim nõ erant, qui sunt à Valentino; neq; ante Marcionem, qui sunt à Marcione:* quæ omnia etiam quadrant in Protestantes: Mox tempora singulorum, quibus docere cæperant, recensens Irenæus concludit: *Omnes hi multo posterius, mediantibus jam Ecclesiæ temporibus, insurrexerunt in suam Apostasiam.* Tertullianus principio libri contra Hermogenem: *solemus,* inquit, *compendij gratiâ hæreticis de posteritate præscribere. Veritatis enim regula prior,* &c. & contra Praxeam: *Illud verum, quod primùm:*

mum: illud falsum, quod posterius. Et S. Hieronymus in fine Dialogi contra Luciferianos. *In illa Ecclesia est permanendum, quæ ab Apostolis fundata vsq; ad diem hanc durat. Alij verò omnes ex hoc ipso, quòd POSTERIVS instituti sunt, hæreticos se esse indicant, quos futuros Apostolus prænuntiauit.*

Nititur autem assertio hæc SS. Patrum, his fundamentis.

I. Sicut Deus prior est Diabolo, bonum prius malo, verum prius mendacio, Christus prior Antichristo, ita etiam vera Christi fides est prior erroribus contra illam fidem: & vera Ecclesia cætibus sectariorum; juxta illud Ioan. 1. cap. 2. v. 19. *Ex Nobis prodierunt, sed non erant ex Nobis, &c.* Hinc S. Augustinus de Symb. ad Catechum. c. 5. *Hæreses omnes*, ait, *de Ecclesia exierunt, tanquam sarmenta inutilia de vite præcisa, ipsa autem manet in radice sua.* Et S. Cyprianus lib. de Vnit. Eccles. *Non enim nos ab illis, sed illi à nobis recesserunt, & cùm Hæreses ac Schismata POSTMODVM NATA sint, dum conuenticula sibi aduersa constituunt, Veritatis Caput atque originem reliquerunt.*

II. Etiam apud S. Matthæum c. 13. testatur Saluator, priùs seminatum esse *bonum semen*, postea *dum dormirent homines, inimicum hominem superseminâsse Zizania*, in quem locum sic scribit Tertullianus lib. de præscriptionibus:

ptionibus: *Ex ipso ordine manifestatur id esse Dominicum, & verum, quod sit prius traditum: id autem extraneum & falsum, quod sit posterius immissum: EA SENTENTIA MANEBIT ADVERSVS POSTERIORES QVASQVE HAERESES, &c.*

Hoc igitur PRIORITATIS IVS vocârunt Præscriptionem *aduersus hæreses*, antiqui Patres; quâ velut compendio repulerunt fortiter omnes NOVATORES; rati, illos ad nullam disceptationem, de Scripturis ac rebus fidei admittendos, sed hoc vnico impenetrabili scuto, id est, *oppositione anterioris temporis*, quo tali modo vbique per Orbem in Ecclesia Christi creditum fuit, antequam isti nascerentur, omnem contrariam *Nouitatem* esse reijciendam; id quod disertissimè & fortissimè agit Tertullianus toto illo libro citato de Præscriptionibus.

SEPTIMA RATIO

Ex Conuersione Infidelium.

Propriùs est Ecclesia vera, vt infideles conuertat.

SI Protestantium Ecclesiæ ante Lutherum, Zvvinglium & Caluinum alicubi fuissent in orbe, tunc ad illas (si veræ Ecclesiæ sunt) debuissent vtique infideles confugere, illisq; se adiungere, quotquot voluerunt conuerti & salui fieri, sed Protestantes

Protestantium Ecclesiæ ante Lutherum nullos conuertarunt.

stantes non possunt nominare vllum locum, aut tempus, quo, ad aliquam Ecclesiam, quæ Protestantium fidem per omnia tradiderit ante Lutherum, Zvvinglium & Caluinum, vllus Ethnicorum, Infidelium ac Iudæorum venerit, & illi cætui se aggregârit: Ergo manifestum est, illo tempore ipsos nullum cætum, nullam Ecclesiam vsquam habuisse suæ fidei & doctrinæ per omnia consortem & consentientem. Dico *per omnia:* nam quòd in vno articulo cum vna secta antiqua; in alio cum alia,, in 3. & 4. cum nostra Pontificia jam conspirent; hoc non facit ad rem, nec probat illorum totam religionem non esse *Nouam*.

Probatio *sequelæ Maioris* in expedito est; Iam enim olim de vera Ecclesia prænuntiatum est per Prophetas, illam Reges multos & Gentes ad fidem Christi adducturam. Esaiæ 60. v. 10. 11. *aperientur portæ tuæ iugiter die ac nocte non claudentur, vt afferatur ad te fortitudo Gentium, & Reges earum adducantur, &c.* Idem habetur Esaiæ 62. v. 2. Psal. 102. 15. 22. Quod authoritate Ieremiæ confirmat Oecolampadius in c. 33. dicens: Deus sic de æterno Christi regno loquitur, &c. *Habebit Reges & sacerdotes, idq; in æternum, nec paucos, sed vt stellas cæli innumerabiles.* Adstipulatur Lutherus, qui prædicta Esaiæ verba sic exponit: *Reges obedient & credent Euangelio: Ecclesia perpetua*

aliqua

aliquos ad fidem conuertet, &c. Hoc enim significatur per portas semper apertas. Cui & consonat Szegedinus in Tabula Analytica in Esaiam c. 60. pag. 126.

Ostendant ergo Protestantes, quo loco, quo año per quindecim sæcula, dictæ prophetiæ *in* ipsorum Ecclesia impletæ fuerint; Et vbi per ipsorum Prædicantes, ante Luthe-rum, &c. ad fidem Protestantium aliquis Gentilium accesserit?

OCTAVA RATIO

Ex eo, quòd ijsdem principijs, quibus probant Lutherani suam Ecclesiam, etiam aliæ sectæ probent suam.

PLeræque rationes, exceptiones, probationes, quibus vtuntur Protestantes generatim contra Catholicos, sunt cõmunes omnib⁹ sectarijs, & quilibet pro se eas ita vsurpat, vt non minus probet Ecclesias contrariarum & ab ipsismet damnatārum sectārum esse veras & Apostolicas, quàm suam propriam. Cùm ergo fides vera, veráque Ecclesia non sit nisi vna & VNICA. Ephes. 4. v. 5. omnes autem & singulæ Protestantium particulares Ecclesiæ sint reuera dissidentes, & in fundamentalibus diuersæ; veræ Ecclesiæ esse non possunt, sed sunt extra illam *Vnicam* Eccle-

Protestantium Principia omnibus Sectarijs communia & accommodata.

Ecclesiam, de qua dicimus in Symbolo, C
do in vnam sanctam Catholicam & Apostolica
Ecclesiam; nec potest demonstrari, quæna
ex illis, aut vbi, ante Lutherum, Zvvingliu
& Caluinum extiterit in Mundo.

His octo rationibus in timore Dei be
ponderatis, an non potest quis rationabilit
& meritò dubitare, *Vbinam terrarum ac gen*
tum fuerint, ante Lutherum, Zvvinglium & C
uinum, Protestantium Ecclesiæ? Si enim Nv
QVAM & NVLLÆ fuerunt, profectò nu
falsæ sunt Ecclesiæ.

Vt autem hæc omnia meliùs declarentu
aliquot *theoremata* subijciemus.

THEOREMA PRIMVM.

Quodlibetica fides nemi-nem salvat.

CHRISTVM in terris reliqui
Ecclesiam, cum qua omnes coniungi nece
sariò debeant, quicunque cupiunt salui fieri,
ita vt extra illam saluari nemo
possit.

HOc verum esse nullus negauerit, ni
cum aliquibus dicere velit, homin
in qualibet fide, & qualibet Eccles
quantumuis hæretica, posse saluari:

Contra hos *orthodoxa* fides nos doce
Deum quidem potuisse per se, sine vlli
creaturæ adminiculo humanum genus a
vltimum suum finem facillimè perducere
saluar

saluare, placuisse tamen illi ad hoc quarundam creaturarum operâ vti: proinde cum de cælo misisse filium suum vnigenitum, *vt homo fieret*, & peccatores ab æterno interitu vindicaret, ad Rom. 1. ad Titum 3. Ioan. 1. ad Hebræos 1. ad Ephes. 1. v. 4. in quo negotio non tantùm ipsemet prædicauit hominibus Euangelium, sed insuper etiam *Ecclesiam* in terris constituit, Matth. 16. v. 18. eíque Apostolos præfecit, cum potestate, vsque ad finem Mundi, alios & alios, eiusdem muneris consortes, ac successores ordine substituendi, & ritè initiandi, ad Ephes. 4. v. 12. 13. *Dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem Pastores & Doctores ad consummationem Sanctorum, in opus ministerij, in ædificationem Corporis Christi, donec occurramus omnes in Vnitatem fidei & agnitionis filij Dei, &c.* Et, 1. Cor. 12. v. 27. *Vos autem estis corpus Christi, & membra de membro. Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primùm Apostolos, secundò Prophetas, tertiò Doctores, deinde virtutes, &c.* Item: *Ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, quæ est Corpus ipsius.*

Si ergo Christus *Ecclesiam* ad hominum salutem, velut ipsius *Caput*, instituit, eámque esse suum corpus voluit, rectè consequitur, neminem saluari, nisi in hoc corpore existat, & cum hac Ecclesia, velut membrum, sit coniunctus.

Extra vnicam certam Ecclesiam nulla salus.

I. Quia ſicut nullum membrum hominis participat vitam hominis, capitísque influxum, ſi non ſit debito modo vnitum Corpori, ſic etiam (vt optimè explicat S. Auguſtinus Tract. 26. in Ioannem, & de Vnit. Eccl. ex S. Cypriano) *ad ipſam ſalutem & vitam æternam nemo peruenit, niſi qui habet* CAPVT *Chriſtum*: *Habere autem* CAPVT *Chriſtum nemo poterit, niſi qui in eius corpore fuerit, quod eſt* ECCLESIA. Teſtatur enim clarè Apoſtolus: *qui Spiritum Chriſti non habet, non eſt eius*. Rom. 8. v. 9. Quomodo autem Spiritum Chriſti habere poteſt, qui non eſt in corpore Chriſti, quod eſt Eccleſia? Hinc S. Cyprianus, S. Auguſtinus & alij tam liberè, & imperterritè dixerunt, *Habere non poteſt Deum patrem, qui Eccleſiam non habet matrem*: quâ eâdem libertate S. Cyprianus cum alijs dixit, ſicut EXTRA ARCAM NOE nemo potuit è diluuio euadere, ita nec EXTRA Eccleſiam quiſquam poteſt ſaluari, vnde in Symbolo Apoſtolorum iubemur priùs credere *ſanctam Eccleſiam Catholicam*, quàm *Remiſſionem peccatorum & Vitam æternam*; quaſi Apoſtoli dicere voluiſſent, *remiſſionem peccatorum & vitam æternam* non poſſe *extra Ecoleſiam* obtineri.

II. Iſaias c. 16. v. 12. non obſcurè prædixit: *Gens & regnum, quod non ſeruierit tibi, peribit*; quem locum ſemper de Chriſto, & illius

Eccleſia

Ecclesia interpretati sunt SS. Patres: quibus adstipulantur etiam Caluinus, & Conradus Pellicanus Tigurinus, alijque ex aduersarijs in illum locum.

III. Christus dixit Ioann. 15. *Ego sum vitis, vos palmites, qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum; quia sine me nihil potestis facere,* de quo pulchrè S. Augustinus Tract. 81. in Ioan. sub medium. *Vnum de duobus palmiti congruit; aut vitis, aut ignis: Si in vite non est, in igne erit: vt ergo in igne non sit, in vite sit.* Quemadmodum igitur fieri non potest, vt palmes fructum ferat amputatus à vite, & illi non vnitus, ita nec hominum quisquam salutem poterit, æternam consequi, si non sit vnitus corpori Ecclesiæ, cuius CAPVT est Christus. Quod idem S. Augustinus epist. 152. ad populum factionis Donatianæ sic confirmat: *Quisquis ergo ab hac Catholica Ecclesia fuerit separatus, quantumlibet laudabiliter se viuere existimet, hoc solo scelere, quòd à Christi vnitate disiunctus est, non habebit vitam, sed ira Dei manet super eum.*

Sed de hoc etiam ipsum Caluinum audiamus: qui lib. 4. Inst. c. 5. n. 5. ait: *Incipiam autem ab Ecclesia, in cuius sinum aggregari vult Deus filios suos, non modò vt eius operâ & ministerio alantur, quamdiu infantes sunt ac pueri, sed curâ etiam maternâ regantur, donec adolescant, ac tandem perueniant ad fidei metam. Hæc enim*

Testimonium luculentum Caluini extra certam Ecclesiam, neminem salutem consequi.

quæ Deus coniunxit, separari fas non est, vt quibus ipse est pater, Ecclesia etiam mater sit: Neque id sub lege modò, sed etiam post Christi aduentum teste Paulo, qui noua & cælestis Hierosolymæ, no esse filios docet.

Et n. 4. *Verùm quia nunc de visibili Ecclesia differere propositum est, discamus vel vno MATRIS elogio, quàm vtilis sit nobis eius cognitio imo necessaria, quando nõ alius est in vitam ingressus, nisi nos ipsa concipiat in vtero, nisi pariat, nisi nos alat suis vberibus, denique sub custodia & gubernatione sua nos tueatur, donec exuti carne mortali similes erimus Angelis. Neque enim patitur nostra infirmitas à Schola nos dimitti, donec toto vitæ cursu discipuli fuerimus. Adde quòd EXTRA EIVS GREMIVM, nulla speranda peccatorum remissio, nec vlla salus, teste Isaiã & Iõele, quibus subscribit Ezechiel, cùm denunciat in Catalogo populi Dei non fore, quos à cælesti vita abdicat, &c.* Matth. 22. 30. Isai. 37. 32. Iõel. 2. 32. Ezech. 13. 9. *sicuti ex opposito dicuntur nomen suum inscribere inter ciues Hierosolymæ, qui se ad veræ Pietatis cultum conuertunt. Qua ratione & in alio psalmo dicitur, memento mei Iehoua in beneplacito populi tui; visita me in salute tua, vt videam in beneficentia electorum tuorum, læter in lætitia gentis tuæ, gaudeam cum hæreditate tua. Quibus verbis paternus Dei fauor, & peculiare spiritualis*

Vita

Vita testimonium ad gregem eius designatur: vt semper exitialis sit ab Ecclesia DISCESSIO.

Et n. 5. *Videmus, vt Deus, qui posset momento suos perficere, noluit tamen eos adolescere in virilem ætatem, nisi educatione Ecclesiæ. Videmus modum exprimi: quia pastoribus iniuncta est cælestis doctrinæ prædicatio. Videmus omnes ad vnum cogi in eundem ordinem, vt mansueto & docili Spiritu regendos se doctoribus, in hunc vsum creatos se permittant.* Et hac Notá pridem regnum Christi insignierat Gelaias, ς 9 21. *Spiritus meus qui in te est, & verba mea quæ posui in ore tuo, nunquam discedent, neque ex ore tuo, neque ex ore seminis tui & nepotum: Vnde sequitur dignos esse, qui fame & inediâ pereant, quicunque spiritualem animæ cibum diuinitus sibi per manus Ecclesiæ porrectum respuunt.* Ita Caluinus, ex quo summarium breue conficiamus.

SVMMARIVM EX CALVINO.

I.o Ait, Deum velle vt in sinu Ecclesiæ aggregẽtur omnes saluandi; ita, vt extra Ecclesiam, nulla spes sit salutis. II. Ecclesiæ operam saluandis tam esse necessariam, quàm est cura matris infanti, quæ concipere, parere, nutrire, & gubernare illum debet. III. hanc curam Ecclesiæ circa quemlibet necessariò durare vsque ad eius

mortem. IV. Proinde necessariam quoque esse omnibus saluandis Ecclesiæ huius cognitionem. V. Vinculum inter Ecclesiam & filios illius esse inseparabile. VI. Non alium esse in vitam æternam ingressum nisi per Ecclesiam. VII. Hoc testari SS. Prophetas VIII. Nec remissionem peccatorum haberi extra gremium Ecclesiæ. IX. Discessum ab Ecclesia semper afferre exitium. X. Verbum Dei ab ore Ecclesiæ, & ab ore seminis, seminis illius, &c. NVNQVAM recessurum. XI Meritò perire omnes, quicunque Ecclesiam respuunt. XII. Et hæc omnia Ecclesiæ VISIBILI conuenire. Quid desideramus amplius? ex hoc vnico loco Caluinus nobis suppeditat tela aduersùs omnes machinas protestantium. Quidquid enim de inuisibili Ecclesia, de interitu Ecclesiæ, eiúsque erroribus obganniunt Aduersarij, ex hoc loco solo Caluini solidè retunditur.

THEOREMA SECVNDUM.

Ecclesiam à Christo ad salutem homi-
num relictam, non esse nisi
VNICAM.

Ecclesiam veram non esse nisi VNICAM.

SEnsus est: Tametsi plures diuersissimæ Ecclesiæ in terris existant, ex ijs tamen non est nisi VNICA, in qua salutem possumus adipisci, PRO-

PROBATVR I. Quia Ecclesia est *Corpus Christi*: teste Paulo, Ephes. 1. v. 23. & ad Ephes. 4. v. 4. & 5. *Vnum corpus, & vnus Spiritus, sicut vocati estis in vna spe vocationis vestræ: Vnus dominus, VNA FIDES, Vnum Baptisma, VNVS DEVS & pater omnium.* Et 1. ad Timoth. 2. v. 5. *Vnus mediator Dei & hominum, homo Christus* JESVS. Christus autem in tertis non habet nisi *Vnicum Corpus mysticum* Rom. 12. v. 5. *Multi enim vnum corpus sumus in Christo*, & 1. Corinth. 12. v. 13. *In vno Spiritu omnes nos in vnum corpus Baptizati sumus*: Vnde optima consequentia est: Ergo tantùm vna, seu Vnica est Ecclesia ad salutem necessaria, nam de tali Ecclesia quin loquatur Scriptura, nemo, nisi emotæ mentis, potest dubitare.

II. Ecclesia est *Sponsa* Christi, Haiæ 62. v. 5. & est *Ouile* Christi, Ioan. 10. v. 16. sed Sponsa Christi est vnica tantùm in terris; vt & *Ouile*. Ergo & Ecclesia Christi est vna tantùm.

III. Non est alia Ecclesia Christi in terris, nisi *illa*, quam dixit se *ædificaturum supra petram*, Matth. 16. v. 18. Ergo non est, nisi VNICA, loquitur enim disertè Christus de Ecclesia in singulari: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam MEAM*; non autem in plurali, *Ecclesias MEAS*. Ideo Concilium Nicænum *dixit* in Symbolo, *Et in VNAM,*

VNAM, sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam; id est, ab Apostolis propagatam & fundatam, quæ non fuit, nisi VNICA; & quidem *Vniuersalis*, seu *Catholica*: inter Apostolos enim maxima Vnio & consensio doctrinæ in Fide erat, quam Vnitatem Christus eis suâ feruentissimâ oratione (Ioan. 17. v. 11.) impetrauit, quando dixit: *Pater sancte, serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, vt sint vnum, sicut & nos*, quod repetit ibidem v. 20. & 21. Quam Vnitatem passim tantopere Paulus quoque commendat maximè, 1. Corin. 12. v. 12. 13. & ad Ephes. 4. v. 1. *Solliciti seruare Vnitatem Spiritus in vinculo pacis, &c.* sicuti è contrario vehementissimè vituperat *dissensiones, rixas, contentiones, æmulationes*, ad Gal. 5. & *schismata*, 1. Corinth. 1.

Caluinus iterum pro Ecclesia vna loquitur.

CALVINVS lib. 4. Inst. c. 1. n. 10. iterum nobis suffragatur. *Cuius Ecclesiæ*, inquit, *vel authoritatem spernere, vel monita respuere, vel consilijs refragari, castigationes ludere, nemini impunè licet; multo minus ab ea* DEFICERE, *ac eius abrumpere* VNITATEM. *Tanti enim Ecclesiæ suæ communionem facit Dominus, vt pro transfuga & desertore religionis habeat, quicunque se à qualibet Christiana societate, quæ modò verum verbi ac Sacramentorum ministerium colat, contumaciter alienauit. Sic eius authoritatem commendat, vt dum illa violatur, suam ipsius imminutam censeat. Neque enim parui momenti*

est,

ſt, quòd vocatur columna & firmamentum Veri-
tatis, & Domus Dei. Quibus verbis ſignificat
Paulus, ne intercidat Veritas Dei in Mundo, Ec-
leſiam eſſe FIDAM EIVS CVSTODEM:
quia eius miniſterio & operâ voluit Deus puram
Verbi ſui pradicationem conſeruari, & ſe nobis
ſtendere Patremfamilias, dum nos ſpiritualibus
limentis paſcit, & quæcunque ad ſalutem noſtram
faciunt, procurat. Non vulgaris etiam laus, quòd
lecta ſegregatáque dicitur à Chriſto in Sponſam,
qua eſſet ſine ruga & macula, corpus & plenitudo
ius. Vnde ſequitur diſceſſionem ab Eccleſia, Dei
& Chriſti abnegationem eſſe, &c.

BVLLINGERVS Tigurinus præfat. lib. contra Anabaptiſtas. *Quoniam aliqui arbi-* *Bullinge-*
rantur Anabaptiſtas & alias hæreſes eodem mo- *rus.*
lo per charitatem tolerandas, neque impugnandas
ſſe, ſicut Veteres quoque diſſenſiones aliquas tole-
árunt, iubemus hos denuo morem & conſuetudi-
nem veteris Eccleſiæ inſpicere. Veteres enim etſi
ommemoratas diſſenſiones tolerârunt, hæreſes ta-
men NVSQVAM tolerárunt; hoc eſt, eos
ui palam hoſtes, & Aduerſarij VNICAE Ec-
leſiæ & communis doctrinæ fuerunt, & ab Eccleſiæ
r doctrina ſeceſſionem fecerunt, & PECV-
LIAREM ac SEPARATAM Eccle-
am & doctrinam inſtituerunt.

Hæc Aduerſariorum teſtimonia planè *Qui eſt in*
ſtendunt, Eccleſiam, in qua neceſſariò eſſe *Eccleſia*
cbemus, ſi ſalui eſſe cupimus, non eſſe niſi *Vnica &*

verae, debet cum eadem eandem fidem tenere & profiteri.

VNICAM & VNAM; & illum, qui in ea est, debere cum eâdem, vniformem fidem profiteri, quam profitetur illa Ecclesia. *Sicut enim ferrum misceri non potest testæ*, Daniel. 2. v. 43. ita nec fides falsa & difformis fidei veræ: nisi in Christi Ecclesia velis locum dare omnium sectarum ac hæresum colluuioni, & in ea collocare etiam Turcas & Tartaros, quæ esset Ecclesia abominanda. *Mandatum Dei esse scias* (inquit Melanchthon in orat. de Ecclesia) *vt veræ Ecclesiæ te adiungas, FIDE, CONFESSIONE, & officijs, quæ ad eius conseruationem Deus præstari iussit, vult Deus te suæ Ecclesiæ ciuem, & communis militiæ socium esse, non hostem, non parricidam, non desertorem, non transfugam.* Diligenter autem notanda

Idem docet Melanchthon.

sunt verba Caluini. I. Non licere ab Ecclesia *deficere*, aut eius *abrumpere vnitatem*. Cur ergo ipse ab ea defecit? II. Ecclesiam esse *columnam* & *firmamentum* Veritatis, ne intercidat veritas Dei in Mundo; III. Ecclesiam esse fidam custodem veritatis: Quomodo igitur verum est, cùm dicit alibi Ecclesiam tanto tempore à veritate aberrâsse? IV. Deum nobis procurare, quæcunque ad salutem sunt necessaria; Et tamen dicit alibi, Deum permisisse, vt Ecclesia in qua sola saluari possumus, plurimis sæculis fuerit Antichristiana; quæ homines à salute abducit per quàm longissimè.

THEO-

THEOREMA TERTIUM.

Ecclesiam hanc necessariò esse VISIBILEM & conspicuam, ita vt agnosci possit & inueniri.

ARGVMENTVM PRIMUM.

VEra Christi Ecclesia est multitudo *gentium in Christo benedicendarum*, Genes. 12. v. 3. est *spirituale semen Abrahæ*, ad Gal. 3. v. 8. 9. 14. 16. De hoc autem semine dicitur, *Multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli, & velut arenam maris.* Genes. 22. v. 17. 18. *Et dilataberis ad Orientem & Occidentem, & Meridiem, & Septentrionem.* Item, *Benedicentur in te, & in semine tuo cuncta Tribus terræ.* Genes 28. v. 14. Hæc autem dilatatio, benedictio, & multiplicatio fieri debet per sensibilem prædicationem *Nominis Christi*, Luc. 24. v. 44. & 47. *Necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in Lege, &c. de me, & prædicari in nomine meo pœnitentiam per omnes gentes.* Et quòd ista prædicatio non potuerit fieri, nisi visibiliter & sensibiliter, colligitur ex Apostolo; *Quomodo enim prædicabunt, nisi mittantur?* Rom. 10. v. 15. *In omnem terram exiuit*

Ecclesia vera debet esse necessariò visibilis.

1. Ex Promissione Dei.

sonus

ſonus eorum. pſal. 18. v. 5. de quo vide S. Aug
de vnit. Eccl. c. 5. Ergo Eccleſia Chriſti eſt
neceſſariò *viſibilis.*

ARGVMENTVM SE-CVNDVM.

II. Quia eſt hæreditas Chriſti.

VEra Chriſti Eccleſia eſt *hæreditas* Chriſti à Patre promiſſa. Pſal. 2. v. 8. *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ.* de quibus verbis S. Auguſt. lib. de vnit. Eccleſiæ, c. 7. ait: *Quis eſt hæreditas eius, niſi Eccleſia eius?* Et cap. 8. *Quis Chriſtianus vnquam dubitauit hoc de Chriſto eſſe prædictum, aut hanc hæreditatem aliud, quàm Eccleſiam eſſe intellexit?* Quis autem prudenter cogitet æternum Patrem voluiſſe Filio ſuo hæreditatem dare in antro Trophonij latitantem, & inter homines prorſus incognitam, & inuiſibilem? et non potiùs talem, per quam eſſet palàm glorioſus, & celebraretur in omnibus gentibus, populis, linguis & nationibus? Sicuti S. Auguſtinus eodem capite prolixiſſimè deſcribit, qui ne ſominauit quidem vnquam de alia Eccleſia, quàm de viſibili. Deinde, nonne hæc ipſa hæreditas vocatur *Ciuitas Dei noſtri, & mons ſanctus eius?* pſal. 47. v. 9. *Hæc autem eſt Ciuitas* (ait S. Auguſtinus ibidem) *in monte poſita quæ abſcondi non poteſt.* Vnde pulcherrimè idem S. Auguſtinus de vnit. Eccl. c. 7. ait. Iſaias c. 52. dicit;

cit; Patefaciet dominus brachium ſuum ſanctum in conſpectu uniuerſarum gentium, & uidebunt omnes nationes uſque ad ultima terræ ſalutem, quæ à Deo eſt. Quis tam ſurdus, quis tam demens, quis tam mente cæcus, ut his tam euidentibus teſtimonijs obloquatur, niſi, qui neſcit, quid loquatur?

ARGVMENTVM TERTIVM.

VEra Eccleſia Chriſti eſt *Domus Dei Iacob, ad quam omnes gentes fluant.* Hoc enim ſigno ab anguſta ludæorum ſynagoga diſtinguitur. Sed hanc *domum* Iſaias vocat *montem eleuatũ* & conſpicuum, c. 2. v. 2. *Erit in nouiſſimis diebus præparatus mons domũs Domini in uertice montiũ, & eleuabitur ſuper colles, & fluent ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi, & dicent uenite, & aſcendamus ad montem Domini, & ad Domum Dei Iacob, & docebit nos uias ſuas.* Michæas cap. 4. vocat *montem præparatum in uertice montium, &c.* Et Chriſtus, Matth. 5. *Ciuitatem ſupra montem poſitam, quæ non poteſt abſcondi.* Quomodo autem conſtaret ſurſus tantus ad hunc montem, ad hanc ciuitatem fieri poſſet, ſi iſte mons, ciuitas iſta non eſſet viſibilis? Quod rurſus Iſaias c. 61. v. 9. apertè confirmat. Et *ſcient in gentibus ſemen eorum, & germen eorum in medio populorum. Omnes qui uiderint eos, cognoſcent illos, quia iſti ſunt ſemen, cui benedixit Dominus.* Sed & hoc nequit

III. Quia eſt Domus Dei, ad quam omnes gentes fluent.

nequit fieri, nisi per fidem & prædicationem Verbi. *Quomodo enim credent ei, quem non au dierunt?* aut, *quomodo audient sine prædicante* Rom. 10. v. 14. Ergo est Ecclesia visibilis.

ARGUMENTUM QUARTUM.

IV. Quia passim in Scriptura celebratur.

VEra Christi in terris Ecclesia est illa quæ passim in sacra Scripturâ cele bratur, sed quæ in sacra Scriptur celebratur, est visibilis. Nam tribuitur illi o ficium *prædicandi* & *docendi*, Marci vlt. *prædicate Euangelium omni creaturæ.* Officium Sa cramenta ritè *administrandi*, & *constituendi* ministros: ad Titum cap. 1. v. 5. Matth. vl v. 19. Luc. 22. v. 19. officium *pascendi*, 1. Pe tri vlt. v. 2. *pascite qui in vobis est, gregem Dei.* Of ficium *regendi*. Actor. 20. v. 20. *Attendite vo bis & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam.* Officium ar guendi & *increpandi*. 2. Timoth. 4. v. 2. a Titum, 2. v. 15. Quis autem dicat hæc intuisi biliter & insensibiliter fieri posse? Nonn omnia sub sensus cadunt? nonne omnia in ter plures se inuicem cognoscentes perag debent? Quis unquam audiuit hominem Pastorem, Doctorem & Rectorem inuisibi lem?

ARGU

ARGVMENTVM QVINTVM.

V. Quia omnes tenentur se Ecclesiæ adiungere.

OBligamur omnes sub periculo æternæ damnationis veræ Ecclesiæ nos adiungere, & sub illius magisterio viuere & perseuerare, vt Theoremate I. Probatum, & tradiderunt SS. Patres, Cyprianus, Augustinus, Hieronymus, alijque, qui docuerunt, quòd *extra* Ecclesiam nulla sit *SALVS*, præsertim S. Augustinus Epist. 174. ad Seuerinum, vbi hæc habet: *Facile tibi est attendere, & videre Ciuitatem supra montem constitutam, de qua Dominus, quòd abscondi non possit. Ipsa enim Ecclesia Catholica, vnde καθολικὴ Græcè appellatur, quòd per totum terrarum orbem diffunditur. HANC IGNORARE NVLLI LICET: Ideo secundùm verbum Domini ABSCONDI NON POTEST.* Quibus omnibus adstipulatur Caluinus supra 1. & 2. Theoremate citatus. Ergo necessariò Ecclesia debet esse conspicua & visibilis, quam cognoscere omnes possint, alioqui quomodo eidem se associabunt, & vsque ad vltimum halitum constanter in ea permanebunt? Vnde etiam dubius vel infidelis sciret, quónam se deberet conferre, si vellet saluari?

adiungere.

S. Augustinus ait, Hanc ignorare nulli licet.

THEO-

THEOREMA QVARTUM.

Perpetuitas Ecclesiæ.

Ecclesiam hanc à tempore Christi huc usque visibiliter semper durâsse, & usque ad finem Mundi duraturam esse.

PRIMVM ARGVMENTUM.

ECclesia est CORPVS Christi, Ephes. 4. v. 11. 12. quod ministerio siue prædicatione Euangelij *ad consummationem Sanctorum* vlteriùs ædificari debet, *DONEC occurramus omnes in vnitatem fidei & agnitionem filij Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, vt jam non simus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia ac circumventione erroris, &c.* Quibus verbis clarissimè indicat Apostolus, opus ministerij cœptum in Ecclesia, per certos & legitimos, atque à Deo datos & ritè constitutos Doctores & Pastores, semper duraturum esse vsque ad finem sæculi: Hoc enim significat hîc particula

Quia est corpus Christi. Ephes. 4.

DONEC occurramus omnes, &c. vt semper docuit orthodoxa antiquitas: et in hunc finem dedit Deus Apostolos, Doctores & Euangelistas, &c. ne vnquam tota Ecclesia par-

vulorum

uulorum more fluctuaret, & erroribus circumueniretur. Dico, *TOTA Ecclesia*; nam hanc, vel illam Ecclesiam particularem fluctuare, & errare posse, non negamus: hic autem particularium error non tollit finem, quem Deus sibi proposuit, in ædificanda & perficienda Ecclesia tota, quia ista est tantùm partialis defectio; sicut ergo non propterea perit tota Respublica, etiamsi jam hic, jam ille ciuis moriatur; ita nec tota Ecclesia, licet subinde aliquæ particulares Ecclesiæ, in hoc vel isto, vel illo regno, Ducatu, Ciuitate ab Ecclesia recedant, deficiant & errent, sed vt Ecclesia, adeóque omnes Ecclesiæ particulares collectiuè, & fideles simul omnes cum suis Doctoribus, Apostolis, Euangelistis in præceps errorum abripiantur, & *ædificatio Corporis Christi*, quæ fieri debet per publicum ministerium prædicationis, prorsus per errores de medio tollatur; hoc nec menti Apostoli, nec misericordiæ Dei erga humanum genus, nec benignitati Saluatoris, nec apertissimis promissionibus diuinis, nec ipsi Historiæ Ecclesiasticæ est consentaneum. Ergo ab initio huiuscunque semper Ecclesia Christi fuit visibilis, quia *ministerium Euangelij*, sine visibilitate, non potest exerceri,

SECVNDVM ARGVMENTUM.

Ecclesia Sponsa Christi.

ECclesia est SPONSA Christi. Ergo per petuò durabit: quia Oseæ, 2. v. 19. dicitur: *Sponsabo te mihi in sempiternum,* & Non igitur ad paucos duntaxat annos, au tria vel quatuor sæcula despondit sibi Chri stus Ecclesiam: & si vel semel deficeret *Spon sa* à suo *Sponso* in *Fide*, jam non esset *Sponsa* am pliùs immaculata, qualem Apostolus descri bit ad Ephes. 5. v. 27. sed meretrix, & adul tera; quod impium est dicere.

TERTIVM ARGVMENTUM.

Ecclesia Regnum Christi.

ECclesia est *REGNVM Christi*: sed hoc regnum durabit *in aternum*, Michææ 4 v. 7. Daniel. 2. v. 44. Ieremiæ 33. v. 20 Luc. 1. v. 32. denique iurat Deus in sanct suo, quòd duraturum sit regnum Christi i æternum. Igitur periurum conantur facer Deum, qui dicunt, Ecclesiam aliquand perisse.

QVARTVM ARGVMENTVM.

Christi promissio, Matt. 28.

CHristus Matth. 28. dixit, *Docete omn gentes, &c. Ecce ego vobiscum sum* (sci docentibus & baptizantibus) *OMN*

BV

BVS DIEBVS, vsque ad consummationem saculi: nempe per spiritum suum, & per *verba, quæ posuit in ore eorum*, Isaiæ 59. *Et in ore seminis seminis eorum*, illos dirigendo & gubernando, & in vera doctrina conseruando. Ergo si Christus verum dixit, de quo dubitare nefas; nunquam hactenus defecit Christi Ecclesia à vera doctrina, neque etiam vnquam ob Christi assistentiam est ita defectura, vt nunquam sit visibilis & agnoscibilis. Vnde etiam Matth. 13. Christus Ecclesiam comparat *agro*, in quo crescunt Zizania cum tritico, *vsque ad messem*, id est, vt ipse interpretatur, *vsque ad consummationem sæculi*. Et quamuis hunc AGRVM exponat Christus, *esse Mundum*, tamen hoc loco *Mundi* nomine suam *Ecclesiam* intelligit; teste S. Augustino contra Donatistas post Collat. c. 6. vbi ait etiam S. Cypriani hanc fuisse interpretationem: *quia per totum Mundum* (inquit) *futuræ præfigurabatur Ecclesia.*

THEOREMA QVINTUM.

Hanc visibilem Ecclesiam quoad doctrinam in fide, & moribus esse infallibilem, & errare non posse.

PRæsuppono ex Theologis, nos loqui I. de Ecclesia vniuersali, non de particulari huius vel illius loci. Vniuersalis

Infallibilitas Ecclesiæ, quomodo intelligatur.

omnes fideles toto Mundo disperſos, vni cum ſuo capite complectitur; Particulari certâ regione circumſcribitur; vt Eccleſia Saxonica, VVirtenbergica, &c. Loquimur etiam de fide non ſolum internâ, quæ eſt in mente, ſed etiam de doctrina publica, quæ ad fidei dogmata ſpectat. II. materia erroris eſt duplex: alia circa fidem & mores, pertinens ad ſalutem: alia impertinens ad ſalutem, vt Philoſophica, Hiſtorica, &c. III. Error circa fidem & mores alius eſt materialis alius formalis. Formaliter errat, qui ſcienter & pertinaciter errat circa obiectum tam clarè propoſitum, vt prudenter dubitare non poſſit, quin à Deo ſit reuelatum, & tamen prauo affectu renititur, illum aliò detorquens, ne credat, vt faciunt Hæretici; Materialiter verò errat, qui ex ignorantia falſum credit, quia putat à Deo reuelatum; vel qui diſcredit, quia putat non reuelatum, errore tamen non pertinaci, quamuis interdum culpabili ob neglectum inquirendæ veritatis. Formali errore Eccleſia vniuerſa errare nunquam poteſt, ſi enim tota formaliter erraret, tota amitteret fidem, & hoc ipſo deſineret eſſe Eccleſia: quia fides eſt de eſſentia Eccleſiæ. Deſinere autem non poteſt tota Eccleſia, ob promiſſiones, Matth. 16. *Portæ inferi non prævalebunt, &c.* Daniel. 2. *Suſcitabit Deus cæli regnum, quod in æternum non diſſipabi-*

tur

tur, & ipsum stabit in æternum. Et Luc. 1. *Regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.* Et hæc de visibili Ecclesia esse intelligenda, postea probabitur. IV. Error materialis potest esse duplex. 1. positiuus; aliquid contra fidem credendo, tanquam si esset certum de fide: 2. negatiuus, non credendo saltem explicitè, quod à parte rei est de fide. V. Infallibilitas quoque duplex in Ecclesia vniuersali excogitari potest. 1. vt nemo ad Ecclesiam pertinens erret. 2. vt semper aliqui sint in Ecclesia, ab errore immunes, licet multi in ea, & doctissimi, hallucinentur. Et de hac posteriori est sermo; ad quam sufficit, si vel pauci non errent: quia est proprietas negatiua. His ex Theologia scholastica præsuppositis, dicimus; *Vniuersalis Ecclesia* in doctrina fidei & morum, materiali & positiuo errore, non potest errare, ita vt omnes collectiuè in illum errorem fideles consplrent.

Ecclesia vera in doctrina fidei & morum est infallibilis.

Nam si tota Ecclesia sic in fide erraret, caderent omnes illius *proprietates*, omniáque officia, quæ illi absolutè attribuuntur à sacris scripturis. Sublatâ enim verâ fide, tota Ecclesia non esset amplius *Sponsa* Christi, sed potiùs meretrix, & adultera: non esset *Regnum* Christi, sed Diaboli: non esset *Hæreditas* Christi; nec *Corpus* Christi, nec *ciuitas* Dei, nec *ouile* Christi, quæ sunt proprietates Ecclesiæ etiam visibilis respectu Dei: Cessarent

I Obvaria officia Ecclesiæ.

quoque omnia officia veræ Ecclesiæ respec
hominum, quibus est spiritualis MATER
nam sine vera fide, & vera fidei doctrina, n
posset Christo filios concipere, nec parer
nec nutrire, nec fideles defendere aduersu
hostes: vt supra prolixè Caluinus & rec
docuit.

Quæ omnia apertè repugnant promissio
nibus diuinis in Scriptura euidentissimi
quæ non possunt sine violentia in alium sen
sum detorqueri. Nam Christus Matth. 1
v. 18. sine ambiguitate affirmat, *Portæ infe
non prævalebunt aduersùs eam.* Prævalerent au
tem, si in fide vel semel erraret.

II. Ob promissionem de Spiritu Veritatis illi factam.

Ioan. 14. v. 17. ait Christus, cum Apostо
lis *Spiritum Veritatis mansurum in æternum*
Cùm ergo Apostoli per se non fuerint victu
in terris perpetuò; necessariò ista promissi
debet etiam ad successores eorum, vsque a
finem Mundi extendi. Quod etiam de al
tera sententia Christi est intelligendum, cùm
dixit Ioan. 14. v. 25. *Paraclitus Spiritus sanctus
quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebi
omnia, &c.* et Ioan. 16. v. 13. *Cùm venerit ill
Spiritus Veritatis, docebit vos omnem Veritatem*
Intellige, quæ est ad salutem necessaria. Quo
modo autem *OMNEM* docuit? si totam
Ecclesiam etiam in vnico articulo salutis per
misit errare?

1. Timoth. 3. v. 15. Apostolus simplicite
& absо

& absolutè vocat Ecclesiam *Columnam & Firmamentum Veritatis*: id est, immobilem à veritate. Si autem deficeret à fide, & publicè doceret falsam doctrinam contra Verbum Dei, esset potiùs *Columna falsitatis*, quàm Veritatis.

III. Quia est columna & firmamentum veritatis.

Matt. 18. v. 17. iubentur omnes audire Ecclesiam, aliàs pro Ethnicis & Publicanis habendi. Et Luc. 10. v. 16. dicitur: *Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit*: vbi per Apostolos intelligit totam Ecclesiam, quam illi repræsentabant. Cùm enim tales promissiones Christi non possint simpliciter intelligi, de qualibet particulari Ecclesia, quæ aliquando errare possunt, debent saltem, vt veræ sint, & vim habeant, de Ecclesia vniuersali intelligi: vt sensus sit: Qui Ecclesiam vniuersalem audit, me audit, qui illam spernit, me spernit. Si autem tota Ecclesia errare in fide posset, malè iuberentur fideles, ita absolutè, & sine restrictione illam audire: & malè Christus Verbum Ecclesiæ, pro suo verbo agnosceret; exponeret enim se, & Spiritum sanctum, omnésque promissiones diuinas de futura firmitate Ecclesiæ, periculo erroris, & summo ludibrio. Cùm enim doctrina Ecclesiæ non sit solius Ecclesiæ, sed simul Christi, qui est caput Ecclesiæ, & Spiritûs sancti, qui est Doctor Ecclesiæ (*non enim vos estis, qui loquimini, &c. et visum est Spiritui*

IV. Quia omnes iubentur audire Ecclesiam, Matt. 18.

ſancto & nobis, Actor. 15.) nonne ſi Eccleſia tota erraret, dici poſſet, & Chriſtum & Spiritum ſanctum errare? quod impium & blasphemum; nonne Propheta falſum dixiſſet quando dixit, Verbum Dei nunquam *receſſurum de ore ſeminis ſeminis huius* in æternum Iſaiæ 59.

Deinde ſi erraret Eccleſia, quomodo *ædificium* conſiſteret ſine fundamento? Fides enim vera eſt etiam fundamentum Eccleſiæ ad Coloſs. 1. v. 23. *Si tamen permaneris in fide fundati*: et ad Ephes. 2. v. 20. *ſuper ædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum, &c.* quod eſt doctrina & fides Apoſtolorum. Porrò ſublato fundamento neceſſe eſt corruat domus, vt agnoſcit Caluinus, lib. 4. Inſt. c. 2. ſect. 1. dicens: *Si Fundamentum Eccleſiæ eſt Prophetarum & Apoſtolorum doctrina, illam doctrinam tolle, quomodo amplius ædificium conſtabit?*

Præterea vera fides & eius prædicatio, non ſolùm eſt fundamentum Eccleſiæ, ſed etiam veluti eſſentialis & propria illius forma: ſicut ergo homo ſine anima, quæ eſt forma eſſentialis hominis, non poteſt ſubſiſtere, ita nec Eccleſia ſine vera fide. Et hoc etiam aduerſarij coguntur fateri, dum dicunt, NOTAS *eſſentiales* Eccleſiæ eſſe, *puram & ſinceram fidem ac prædicationem Euangelij, & legitimam adminiſtrationem Sacramentorum.* Ergo non poteſt eſſe, & manere vera Eccleſia, quæ in fide &

præ-

prædicatione turpiter errat. Id quod etiam Caluinus, l. 4. Inst. c. 2. sect. 2. & c. 8. sect. 12. & 13. concedit, saltem quoad præcipua fidei dogmata.

THEOREMA SEXTUM.

Ordinariè nullam esse legitimam Vocationem & Successionem ministrorum Ecclesiæ, nisi per veram visibilem Ecclesiam.

HOc Theoremate ista continentur. *Necessaria est diuina Vocatio.*

I. Necessariam omnino esse diuinam Vocationem, vt quis legitimè prædicet, & administret Sacramenta. Nam sicut in humanis nemo audet vel principis, vel priuati negotia propriâ authoritate tractare, nisi potestate ab illo acceptâ; ita multò magis in regno Christi, & in supernaturalibus ac diuinis, nisi à Deo quis iussus, & potestate legitimâ instructus fuerit; *Quomodo namque prædicabunt, nisi mittantur?* Rom. 10. v. 15. *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron.* ad Hebr. 5. v. 4. sic & Christus *non semetipsum clarificauit, vt Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum, filius meus es tu.* psal. 2. v. 7. Quare qui se audet intrudere diuinis his Officijs, præfert se ipsi met Christo: et *non intrat per ostium in ouile, sed aliunde ascendit, ac fur est, & latro,* Ioan. 10. v. 1. *Ostium* au-

tem in ouile, est via ordinaria, nempe authoritas Ecclesiæ, per quam est accessus ad Officium pastorale. Et Christus, Ioan. 7. v. 18. ait. *Qui à semetipso loquitur, gloriam propriam quærit, qui autem quærit gloriam eius, qui misit eum, hic verax est, &c.* Sic nec Christus nisi missus venit. Cùm enim mitteret Apostolos, suam quoque missionem legitimam allegauit, Ioan. 20. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* Et Ioan. 17. *sicut me tu misisti in Mundum, & ego misi eos in Mundum.* Nemo igitur mortalium mittere alios potest, nisi ipse priùs sit missus. Vnde grauiter questus est Deus apud Hieremiam 23. v. 21. *Non mittebam Prophetas, & ipsi currebant; non loquebar ad eos, & ipsi prophetabant.* et, c. 27. v. 15. *prophetabant in nomine meo mendaciter.* Cúmque Ozias contra ius & fas officium Sacerdotis sibi vsurpâsset, reprehensus à Propheta, leprâ percussus est à Domino. 2. Paralip. 26. v. 18. & seqq.

Duplex vocatio: ordinaria & extraordinaria.

II. Duplicem esse Vocationem. 1. *Extraordinariam*, quæ fit *immediatè* à Deo, & *extra* consuetum morem, qualis fuit Mosis, & quorundam Prophetarum, nec non Apostolorum. Est autem necesse, vt qui sic *extraordinariè* vocantur, suam vocationem demonstrent, certis ac euidentibus signis; vt fatetur de seipso Moses: *Non credent mihi, neque audient vocem meam, sed dicent, non apparuit tibi Dominus.* Exodi, c. 4. v. 1. De hac imediata vocatione

catione loquitur Paulus, ad Gal. I. v. 1. cum ait, se esse *Apostolum non ab hominibus, neque per homines, sed per* IESVM *Christum & Deum Patrem*: significans se *extraordinariè & immediatè à Deo vocatum & missum*. II. *ordinariam* seu *mediatam*, quæ fit mediante consensu & cooperatione hominum: De mediata vocatione ita Lutherus in Epist. ad Gal. *Deus nos hodie vocat ad ministerium Verbi sui, vocatione mediata, quæ fit per medium, id est, per hominem, &c. Ea vocatio duravit usque ad nostra tempora, & durabit usque ad finem Mundi*. Idem docet Cartvvrigthus Caluinista in 2. Replica, pag. 128. *Nemini*, inquit, *licet sibi honorem assumere, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron. Quæ unquam maior sacrificandi necessitas accidere potuit, quàm cùm Saul sacrificare præsumpsit?* Samuel. 1. cap. 13. v. 11. &c. *Quanta ibidem necessitas Ozam ad arcam sustentandam impellere videbatur? Quia tamen in ea se munera ingesserunt non vocati, pretium tulerunt præsumptionis*. apud Brerleium apolog. Protest. f. 311. Bilsonus itidem Caluinista, lib. de perpetuo Ecclesiæ Christi regimine, cap. 9. fol. 111. & Sarauia in defens. de diuersis ministrorum gradibus, pag. 10. *Episcopos & Episcoporum successionem, quâ vnus vni à temporibus Apostolorum semper & vbique successit, &c. in dubium reuocare quò magis cogito, eò magis magísque vsque ad stuporem admiror*. Hinc est, quòd antiqui

Patres

Patres ſucceſſionem ab Apoſtolis continuam tanti fecerint, vt eius defectum, ſuorum temporum hæreticis identidem obiecerint.

III. Illos, qui *ordinariè* vocantur, acciperẽ ſuam poteſtatem & vocationem non niſi ab Eccleſia, ſiue per miniſtros Eccleſiæ. Nuſquam enim in Scriptura veſtigium appareat vel populo, vel Magiſtratui ciuili competere ius eligendi Paſtores, & faciendi Epiſcopos ſed contrarium, (quòd nempe ad Eccleſiam eiúſque Prælatos hoc ſpectet) euidens eſt ex Epiſtola S. Pauli ad Titum, c. 1 v. 5. *Huius rei gratia* (inquit) *reliqui te Cretæ, vt ea, quæ deſunt corrigas, & conſtituas per ciuitates presbyteros, ſicut & ego diſpoſui tibi.* Quis autem neget, tunc eisdem ciuitatibus etiam præfuiſſe Magiſtratus ciuiles, & politicos? at ipſorum nemo conſtituit Paſtores animarum: niſi dicas, S. Paulum illis feciſſe iniuriam, eripiendo illis ſuum ius, & immiſcendo ſe officio alieno, quod falſum. Agnouit ergo Paulus, hoc Eccleſiæ præſidum, non verò Laicorum eſſe; Ideò dicit ſoli Tito Epiſcopo, vt conſtituat ſacerdotes per ciuitates; *Sicut ego* (inquit) *diſpoſui tibi*, non addit, multitudini vel magiſtratui. Similiter 1. Timoth. 3. modum eligendi Eccleſiæ miniſtros præſcribens, nec populi conſenſum, nec electionem requirit. et c. 5. v. 22. totum hoc negotium Timothei ſolius iudicio permittit, nulla laicorum facta mentione.

Vnde ſit ordinaria Vocatio? & quæ ſint requiſita?

tione. *Manus*, inquit, *citò ne imposueris*. Vn-
de Apostoli, quando mittebant Sacerdotes
ad infideles populos conuertendos, soli mit-
tebant, non modò sine consensu illorum
populorum, sed etiam ignorantibus & sæpè
reluctantibus illis, ad quos mittebant. Qua-
re iure diuino, nec Magistratui sæculari, nec
populo competit jus tale. Quòd si autem
olim in electionibus Episcoporum vsuvenit
lubinde, vt etiam populus suffragaretur, il-
lud non nisi *Nominatio*, seu suffragium *petitio-
nis & testimonij* fuit, nullo autem modo *appro-
bationis & potestatis*, quæ iuris est diuini; Quis
autem vnquam ex antiquis censuit consen-
sum, seu *nominationem* à populo factam, iure
diuino necessariam esse? quam ob maiorem
pacem & concordiam Laicis nonnunquam
permittendam iudicârunt antiqui Episcopi.
Cùm autem postea per insolentiam plebis, &
Principum Tyrannidem, magnæ perturba-
tiones & clades inde orirentur, indigníque
& factiosi eueherentur in destructionem Ec-
lesiæ, sacrosancta Concilia meritò frenum
huic improbitati imposuerunt.

Accedit solidissima ratio. Ministerij Ec-
clesiastici potestas est supernaturalis, & merè
spiritualis. Ergo non potest ab authoritate
ciuili conferri. 1. Quia obiectum huius po-
testatis, circa quod immediatè versatur, est
salus æternâ animæ, directio & cura non cor-
porum,

porum, aut rei cò pertinentis. 2. Quia fini
eius eſt: animas ouium ad cælum perducere
ac dirigere per media ſupernaturalia, & leger
diuinam, non autem ſolùm ad honeſtè & ci
uiliter bene viuendum iuxta rationis regula
3. Quia hæc poteſtas confertur modo & vi
ſupernaturali, donis videl. et chariſmatibu
collatis, quæ non tantùm à Deo ſunt, vt om
nis alia poteſtas, ſed etiam immediatè ac pro
ximè & per ſe procedunt à Deo, nullâ leg
naturæ mediante, ſed Sacramento quodam
à Deo inſtituto interueniente. Igitur pote
ſtas Eccleſiaſtica eſt merè ſpiritualis, & ſuper
naturalis. Contrà verò, poteſtas ciuilis ne
circa tale obiectum verſatur, ſed circa corpo
ra, Matth. 10. *Nolite timere eos, qui corpus occi
dunt, animam autem non poſſunt occidere*: ne
ad illum finem, ſaltem proximum dirigitur
ſed ad externam tantùm pacem, & iuſtitiam
nec ex donis ſupernaturalibus confertur, ſe
ex lege naturæ eſt orta; à Deo quidem, pe
quem reges regnant, prou. 8. ſed abſque Sa
cramento, naturaliter hominum mentibu
impreſſa, eſt inſtituta, ideóque toto gener
ab Eccleſiaſtica poteſtate differt, de quo plu
ra eruditè Stapletonus in Relect. Controu. 2
q. 4. art. 3. fol. 230.

IV. Neceſſaria requiſita ad legitimam vo
cationem ordinariam, ſeu mediatam, (præ
ſuppoſitâ perſonæ idoneitate) iſta aſſignan
nemp

nempe *Electionem, Ordinationem, & Applica-*
tionem, per eos, quibus competit ex continua
ſucceſſione ab Apoſtolis, ius *eligendi, ordinan-*
di & applicandi: ſine quibus nec vera Eccleſia,
nec verus paſtor & Epiſcopus eſſe, nec quis-
quam munere prædicandi, Sacramenta ad-
miniſtrandi & ordinandi ritè ac validè fungi
poteſt.

Per electionem deſignatur certa perſona
ad miniſterium Eccleſiaſticum; vt factum in
Electione Matthiæ, Act. 1. et S. Stephani alio-
rúmque Diaconorum, Actor. 6.

Per *Ordinationem* conſecratur talis perſona
Deo, accedente oratione, & *impoſitione ma-*
nuum. Sic Act. 14. v. 22. conſtituerunt Apo-
ſtoli presbyteros. & 1. Timoth. 4. v. 14. ait
Paulus: *Noli negligere gratiam, quæ in te eſt,*
quæ data eſt tibi per prophetiam cum impoſitione
manuum presbyterij, &c. et idem habet 2. Ti-
moth. 1. v. 6.

Per *Applicationem* verò confertur poteſtas
& iuriſdictio ad vſum & exercitium officij;
aſſignantúrque perſonæ certæ, quas gu-
bernent ordinati. Et hæc ab exordio
Eccleſiæ fuerunt ita ſemper vſitata, atque
à Patribus Orthodoxis recepta & approbata,
vt tam illos omnes, qui prædictâ ſucceſſione
& vocatione erant deſtituti, pro falſis paſto-
ribus, & lupis rapacibus; quàm Eccleſias
eorum pro ſpurijs & hæreticis conuentibus
habue-

habuerint: vt videre est apud Tertull. de Præscript. c. 20. Cyprian. lib. 1. epist. 6. ad Magnum. Optat. lib. 2. contra Parmen. Augustin. epist. 165. et in Enchiridio, c. 65.

THEOREMA SEPTIMUM.

Ad veram & Apostolicam Ecclesiam non satis esse, si quis aliquibus fundamentalibus articulis cum Apostolica Ecclesia consentiat, sed necesse est in omnibus.

RAtio est 1. Quia alioqui etiam Turcarum & Iudæorum Ecclesia esset vera Ecclesia; nam & in istorum Ecclesijs traduntur aliqui articuli nostræ fidei Christianæ consentanei: vt *Deum esse vnum*, & *solum*; Deum *esse Creatorem Mundi*: esse *omnipotentem*, esse *colendum* & *adorandum*, *&c.* Quis autem dicat has esse veras & Apostolicas Ecclesias?

Qui Deo in vno nõ credit, nec in reliquis verè credet.

2. Quia etiam quorumuis Hæreticorum cætus esset hac ratione vera Ecclesia: nulla enim est hæresis, quæ non aliquot veros articulos fidei credat: *Ariana* enim hæresis, in hoc maximè errauit, quòd Christo negaret diuinitatẽ; *Macedoniana*, quòd eandem negauerit Spiritui sancto; *Nestoriana*, quòd duas in Christo assereret personas; *Eutychiana*, quòd

quòd in Christo vnam tantùm naturam admitteret: *Pelagiana*, quòd negaret peccatum originale, & necessitatem gratiæ; at verò in multis articulis alijs, isti hæretici cum Catholica & Apostolica Ecclesia conspirabant, &c. an ideo ab antiquis Patribus non damnati & anathematizati fuerunt? an non eorum secatores à corpore Ecclesiæ fuerunt amputati? nō sufficit igitur ad verā Ecclesiam, solùm quædā rectè credere, sed requiritur, vt in omnibus, nullo excepto, rectè credatur. Cùm enim Deus in dicendo semper sit verax, & infallibilis veritatis, nunquam mentitur; sed in omnibus, quæ reuelat, meretur fidem; Quam qui vel in vnico illi negat, quomodo in reliquis illi firmiter credet? Huc accommodari potest illud Iacobi. 2. v. 10. *Quicunq; totam Legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus. Qui enim dixit, non machaberis, dixit & non occides. Quod si non machaberis, occides autem, factus es transgressor Legis.* Sic qui in vno non credit Deo, in reliquis quomodo credet? Hinc etiam Lutheranus Ioannes Gerardus in Confess. Cathol. lib. 2. a. 5. c. 4. fol. 1125. veram Ecclesiam non solùm à Turcis, Iudæis, & gentibus, sed etiam à cætibus hæreticorum distinguit, ex Deut. 4. v. 6. psal. 147. v. 19. &c.

GENERALIA EFFVGIA PROTESTANTIUM

Contra primam & ſecundam Rationem dubitandi.

EFFVGIVM I.

Effugium Tigurini cuiusdam.

Iunt, ſe nõ diſceſſiſſe ab Eccleſia Catholica, ſed retinuiſſe fidem antiquam Apoſtolicam, & tantùm excuſſiſſe nouitates à Papatu ſuperinductas: Eccleſiam enim eſſe inſtar arboris, quæ principio fuerit munda, & nihil aduentitij habuerit inuoluceri; temporis ſucceſſu verò hederis paulatim, ſentibus, viſco, lapparúmque folijs & fædo canóque ſitu obductam eſſe; quem ſqualorem Proteſtantes deterſerint, arborémque purgatam ad priſtinam formam, ſuâ *Reformatione*, reduxerint. Ita Tigurinus libellus ſub titulo Sonnenſchein; Anno 1640. editus, fol. 102. 103. vbi expreſſè dicit arborem iſtam, tam quoad ipſum truncum, quàm quoad omnes ramos, illæſam prorſùs in ſe permanſiſſe, ſuúmque genuinum fructum, quamuis in minori quantitate, tuliſſe in Papatu.

Ex libello Soñenſchein.

RESPONDETUR

Si res ita habet, tunc in *ſubſtantia*, ſeu ipſa *eſſentia*, Eccleſia Pontificia ſemper manſit, & fuit

fuit vera Ecclesia, vsque ad Lutherum, & consequenter adhuc est *essentialiter* vera Ecclesia; cùm nunc non sit alia, quàm tunc: superinductio autem situs & squaloris non fuit nisi *accidentalis*; quæ ipsam *substantiam* non euertit. Ergo Protestantium Ecclesia hodie est falsa Ecclesia; probatur consequentia, quia fatentur à Pontificia essentialiter suam Ecclesiam discrepare; quandoquidem ei alias essentiales notas tribuunt, quàm Ecclesiæ Pontificiæ, dicunt enim in Ecclesia Pontificia non esse puram prædicationem Verbi, nec legitimè Sacramenta administrari. Si autem est essentialiter diuersa illorum Ecclesia, ab Ecclesia Pontificia, & Ecclesia Pontificia mansit vera Ecclesia, certè Ecclesia Protestantium non potest esse vera: quia vera Ecclesia est tantùm VNA; vt superiùs demonstratum & vnius rei est tantùm vna essentia.

EFFUGIUM II.

Effugium eiusdem Tigurinè de S. Felice, S. Regula, ac Thebæis Martyribus.

IN eodem Tigurino libello, f. 132. dicitur, illam fidem & doctrinam, quam S. Felix & S. Regula, ex Legione Thebæorum Martyres, olim in Heluetiæ partibus circa annum trecentesimum octauum tenuerunt, & tradiderunt, esse prorsus eandem, quæ nunc Tiguri & in Territorio Tigurino tenetur, traditur & prædicatur. Non ergo iam esse, cur ampliùs quæratur, vbinam fuerit il-

lorum Ecclesia ante Lutherum & Zvvinglium? quia Tiguri & in Heluetia fuit: quod demonstrare pluribus conatus est Ioannes Iacobus Vlrich, Professor Tigurinus in Tract. *de antiqua, vera, Catholica fide* SS. Felicis & Regulæ. Anno 1628. Tiguri apud Ioannem Iacobum Bodmer.

Ait autem, fol. 26. malè Papistas gloriari, hos Sanctos pro fide hodiernæ Romanæ Ecclesiæ mortuos. Veritatem enim huius rei necessariò ex scriptis Orthodoxorum Patrum esse decidendam, qui tunc in præcipuis Orbis Ecclesijs in Oriente & Occidente, Meridie & Septentrione, præsertim in Ægypto, vnde S. Mauritius cum sua Legione prodijt, floruerint: nominat deinde S. Ignatium M. S. Iustinum M. S. Irenæum Episcopum Lugdunens. in Gallia, Clementem Alex. Tertullianum & Cyprianum, Eusebium Cæsar. qui omnes ab anno Christi centesimo, vsque ad annum 324. tempore Nicæni Concilij vixerint; & in fundamentalibus penitus vniformem fidem, & doctrinam cum Scriptis Apostolorum, nec non Zvvinglianorum habuerint & tradiderint; ex quibus nonnulla testimonia allegat.

RESPONDEO I. acceptamus liberalem Tigurini confessionem, quòd hæc dubitatio (vtrum Zvvingliana fides cum Apostolica consentiat, an non?) debeat per testimonia

Anti-

Antiquorum Orthodoxorum Patrum definiri; cùm id alioqui negent Aduersarij, quando ex Patribus conuincuntur; prouocantes ad solam Scripturam, quam non tam ex sensu Patrum, quàm ex sensu proprio volunt interpretandam.

II. Testimonia ex citatis Patribus à Tigurino à fol. 30. ad 40. sunt talia, vt nihil prorsùs contineant, quod nos Catholici non etiam credamns & doceamus. Igitur, si aliquid pro Zvvinglianis probant, non minùs probant pro nobis: nempe Pontificiam Ecclesiam habere veram fidem. *Malè citantur SS Patres à Tigurino.*

III. E contrario ex ijsdem Patribus, quos allegat, possumus nos plurima testimonia etiam in *fundamentalibus* adducere, in quibus sentiunt nobiscum, & Protestantibus aduersantur. Si ergo hîc Patrum Sententiâ standum, causâ cecidit Tigurinus e. g. S. Cyprianum contra nos allegat ex lib. 2. epist. 3. ad Cæcilium; cùm tamen Epistola illa tota contradicat Protestantibus: quia clarissimè docet, à Christo *Sacrificium incruentum* (quod nos MISSAM vocamus) in Cœna vltima, *secundùm ordinem Melchisedech* esse oblatum.

Quando verò itidem Cyprianus dicit, *neq; enim hominis consuetudinem sequi oportet, sed Dei veritatem, &c.* nobis neutiquam contradicit: quia non reijcit consuetudinem vniuersalis Ecclesiæ, sed tantùm quorundam hominum

particularium, qui *Sacrificium Calicis Dominici*, ex aliqua praua consuetudine, putabant in *pura aqua*, absque Vino offerendum. Consspirat de Missæ sacrificio cum Cypriano Clemens Alex. lib. 4. Strom. c. 8. Euseb. de Demonst. Euang. lib. 5. c. 3. & lib. 1. c. vlt. & S. Irenæus lib. 4. c. 32.

Liberum arbitrium asserit S. Iustinus M. ad q. 103. & in Apolog. 2. ad Antoninum post med. & Apolog. ad Senatum ante medium. *Neque enim* (inquit) *quidquam eorum laude dignum esset, nisi vtramque in partem conuertere, & quasi flectere se posset.*

De *libero arbitrio* consentit Irenæus quoque lib. 4. cap. 9. c. 29. c. 71. 72. & Tertullianus contra Marcionem, lib. 2. c. 5. & 6. Item Clemens Alex. lib. 1. Stromatum.

Eucharistiam esse *carnem Saluatoris, quæ pro peccatis nostris passa est, quam Pater suâ benignitate suscitauit*, docet S. Ignatius apud Theodoretum dialogo 3.

Transsubstantiationem item clarè indicat Iustinus M. Apolog. 2. & S. Irenæus lib. 4. c. 3. c. 34. & lib. 5. c. 2. Tertullianus contra Marcionem, cap. 40. *Liberum arbitrium* defendit etiam S. Ignatius epist. ad Magnesianos. *Fugiamus mortem*, inquit, *& eligamus vitam*, loquitur de morte animæ.

S. Ignatius, epist. ad Trallianos apud Eusebium lib. 3. Hist. c. 3. ait: *Traditiones non scriptas*

ſcriptas eſſe admittendas. Jam videat Aduerſarius, an iſti Patres non magis pro nobis ſtent, quàm pro illis?

IV. Miror Tigurinum etiam in Suæ fidei teſtem, Euſebium Cæſarienſem, cum Conſtantino M. fuiſſe auſum aduocare. fol. 38. Nam I. Confeſſionem illam Euſebianam, vt & doctrinam de Iuſtificatione, cuius meminit, nemo noſtrûm non ex intimo corde credit. II. Ibidem fol. 40. aliqua illis Patribus attribuit Tigurinus, ſine Probatione legitima; quia nec verba, nec locum citat. III. In reliquis capitibus argumentatur ex vita SS. Felicis & Regulæ tantùm negatiuè ab authoritate, quod eſt infirmum argumentum V.g. non legitur in Vita illos *inuocâſſe Sanctos, &c.* Ergo non fecerunt. Quàm multa fecerunt, quæ non leguntur? Neque enim in alicuius Sancti vita ſemper omnia ſcribuntur, quæ fecit.

V. Quòd Euſebius, & Conſtantinus Magnus longiſſimè à fide hodierna Proteſtantium omnium abfuerint, ſolidiſſimè probat Brerleius in Apolog. Proteſt. Tract. 2. cap. 1. ſect. 3. vbi etiam teſtimonijs Aduerſariorum oſtendit, illâ ætate omnia fuiſſe Romano-Catholica; Idem nuperrimè quoque eſt oſtenſum in *Epiſtola* cuiuſdam Vndervvaldenſis, anno 1650. Lucernæ edita, & in adiuncto Recepiſſe Appenzellenſis, vbi ſpecialia exprimuntur:

muntur: Nempe, quòd Imp. Constantinus M. sanctam Crucem in maximo honore habuerit: quòd sacrificium Missæ summi pretij æstimauerit: quòd Basilicas & templa in memoriam sanctorum Apostolorum & Martyrum ingenti sumptu ædificanda curârit; quòd SS. Martyrum sepulchra & Reliquias varijs modis exornauerit: quòd imagines Saluatoris, Ioannis Baptistæ, Apostolorum & aliorum Sanctorum ad venerationem publicam exposuerit: quòd cætus Virginum Deo castitatem vouentium constanter coluerit, & fouerit: quòd statum Monachorum Deo per vota consecratorum non solùm ipse magnopere veneratus sit, sed & per Syriam, Bithyniam, Palæstinam, Asiam, Africam magnis donis affecerit, & aduersùs omnes infestantes defenderit: quòd castigationem corporis, vigilias, ieiunia, orationem & similia ad promerendam gratiam, & reconciliandum Deum non parum valere existimauerit; quòd Sanctorum in cælo intercessionibus magnam vim esse crediderit: quòd Sacerdotibus potestatem esse, remittendi peccata, concesserit: quòd defunctis per sacrificium Missæ succurri posse censuerit, vt colligitur passim ex Historia Ecclesiastica, & libro de vita Constantini apud Eusebium. Quæ omnia Catholicorum doctrinæ sunt consentanea, & à Protestantium effatis aliena. Et quia iste

Constantinus M. Tigurinis in plurimis contrarius.

iſte Conſtantinus ferè circa illa ipſa tempora Martyrum Thebæorum vixit, non poteſt vllo modo credibile eſſe, illum, cùm factus eſſet Chriſtianus, adeò malè fuiſſe inſtructum; cùm ipſi Proteſtantes fateantur (inter quos & Rudolphus Hoſpinianus in Dedicat. de virgine Monachali apud Eilbracht, fol. 77.) ſtatum Eccleſiæ tempore Conſtantini *in ſummo aſpice ac culmine perfectionis extitiſſe.* Igitur prorſùs friuolum eſt hoc effugium de Thebæis Martyribus & SS. Patribus à Tigurino Ioanne Iacobo Vlrich confictum, & totus ille libellus in fumum euaneſcit.

EFFVGIVM III.

Effugium ineptum, Eccleſiam latitâſſe in ſolitudine.

ECcleſiam Proteſtantium ante Lutherum, *Latitâſſe in ſolitudine, fuiſſe tamen in Mundo.* Ita VVittak, contra Bellar. de Eccleſ, controu. 2. q. f. p. 262. Parkinſus in Cathol. Reformato, f. 329. apud Brerleium, fol. 417. Si jam quæras, vbi fuerit in Mundo? reſpondent, *in medio Papatu; Papatum tamen non fuiſſe Eccleſiam.* VVittak, lib. cit. fol. 165. Amandus Polanus in partit. Theol. lib. 1. f. 352. & Bucanus in locis com. loc. 41. Beza in epiſt. Theol. 1. f. 15. *Voluit* (inquit) *Deus in Papatu ſeruare Eccleſiam, etſi Papatus non eſt Eccleſia*, apud Brerleium. Caluinus in Inſtit. poſterioribus, lib. 4. c. 2. n. 7. apertè negat Papatum eſſe Eccleſiam, quòd *in eo miniſte-*

nisterium, nervus præcipuus Ecclesiæ, conculcetur, atq; anima Ecclesiæ dissipetur.

Præterea prolixè hunc modum latitandi explicat David Pareus Commentario in Apocalyps. cap. 7. v. 3. vbi visionem illam 144000. Signatorum, de electis sub Papatu per proximos mille annos seruatis, explicans, ait: *Primò igitur Sigillum hoc electis impressum, est æternum Dei propositum eos seruandi, quod quidem oculis hominum non cernitur, ab electis verò in cordibus suis videtur & sentitur. Secundò est vocatio ad fidem: externa, per Verbum & Sacramenta; interna, per Spiritûs arrhabonem efficax. Tertiò est inuocatio vera Nominis diuini, hoc est, sincera Veritatis Euangelicæ Professio, Anti Christianismi fuga & ejuratio. Denique est vera conuersio ad Deum, constantia & perseuerantia in fide Christi. His notis signati se ipsos separant à face Antichristiana, & facilè cognoscuntur. Itáq; dicuntur Signati in frontibus suis, quia professionis suæ eos nequaquam pudeat.* Et mox, v. 4. *Quærunt Papistæ, vbi fuerit Ecclesia ante Lutherum, & quinam fuerint? Audiant Ioannem. Cùm Antichristus videbitur omnia pessum dedisse, erunt tamen 144000. signatorum. Dicimus igitur Ecclesiam signatorum latuisse in medio Papatu, tunc cùm Angeli starent ventorum flatus in hibere super terram, mare, & arbores: hoc est, prædicationem Euangelij impedire: Ecclesias omnes particulares in formam noui regni Antichristo, vt Regi subjugare.*

Pareus quomodo explicet hanc solitudinem.

RE-

RESPONSIO.

Hoc effugium est ænigma ambiguitatibus, & contradictionibus plenum.

Nam 1. Si ante Lutherum *Papatus non fuit Ecclesia*, sequitur illos, qui cum Protestantium fide in Papatu *latuerunt*, à nulla Ecclesia fuisse spiritualiter genitos, nec vllam *legitimam matrem* habuisse, adeóque nec Dei filios nec saluatos esse, quod absurdum. *Non enim habebit Deum Patrem, qui Ecclesiam non habet Matrem.* Atqui Protestantes tales tunc Ecclesiam Papisticam non habuerunt *Matrem*, si illa non fuit Ecclesia, vt ipsi dicunt. Ergo aliam, quàm Papisticam. Quæro igitur vtrum illa alia, quæ ipsos genuit *Mater*, fuerit Ecclesia, an non? Si non: procedit argumentum; si ita: ergo mediante *prædicatione Verbi & Sacramentorum legitimâ administratione* ipsos genuit; cùm non sit alius spiritualis generandi modus. Nam *per Euangelium ego vos genui*, ait Apostolus, 1. Cor. 4. 15. Ergo non *latuit*; nec occulta, sed cognita fuit. Est enim impossibile, *ministerium Matris* ab Ecclesia exerceri ita latenter, vt non plures sint conscij. Sed præter Papisticam nullam nominare possunt. Ergo tandem, nolint, velint, ad Papisticam deuenient, & illam *Ecclesiam esse* admittent; præsertim cùm toti Mundo notum sit, Protestantium Maiores & Antecessores à Papistis, in fide, & Sacra-

Si Ecclesia latuit & incognita fuit, Protestantes non habuerunt Ecclesiam Matrem. Ergo nec Deum Patrem.

Sacramentis Papisticis, papisticóque ritu administratis, genitos, nutritos & educatos esse, vt suprà de Luthero, Zvvinglio & Caluino probauimus.

Dissensio Protestantium, quorum alij dicunt Papatum non fuisse, alij fuisse Ecclesiam.

II. Si Papatus non fuit Ecclesia, vel ideò non fuit, quia nihil habuit eorum, quæ necessaria sunt ad Ecclesiam; vel quia non habuit omnia, sed in aliquibus essentialibus, seu fundamentalibus defecit: prius non potest dici; quia fatentur Aduersarij, Papatum habuisse sufficientia media salutis; nempe Baptismum, S. Scripturam, Orationem Dominicam & Decalogum. Non posterius: quia hoc ipsum possunt etiam Lutherani Caluinistis, & Caluinistæ Lutheranis, & nos vtrisque obijcere; cùm & nos illis, & illi sibi mutuò fundamentales *defectus* graues exprobent: quâ ratione, omninò nulla esset Christi in terris Ecclesia; quod falsum & impium.

III. Obscurum est, quid velint, cùm dicunt, *Ecclesiam suam in Papatu fuisse.* An volunt, suam Ecclesiam in ditione Papistarum, & inter Papistas ciuiliter tantùm, absque vlla externæ Religionis communione vixisse, & quoad Religionem omninò Papistis incognitam fuisse? si hoc; rectiùs dicerent, illam extra Papatum fuisse, nisi velint verbis abuti, & concedere, quòd sua Ecclesia etiam sit in ipsa Turcia, cùm subinde contingat etiam Protestantes inter Turcas degere.

Sed

Sed respondet huic obiectioni *Parkinsus* in Reformato Catholico, fol. 328. hoc dici non posse; *quia inter Turcas*, ait, *nulla prorsus sunt media salutis; secùs in Ecclesia Romana, quæ habet Scripturas SS. & Baptismum, quibus mediis Deus omni tempore ad electos suos è Babylone euocandos vsus est.* Et VVhitgiftus in *Defensione resp. ad Admonit.* fol. 624. Bezam in eundem sensum citat, apud Brerleium fol. 419. *Licet Papismus* (inquit) *non sit Ecclesia, tamen Ecclesia in eo, vt ita dicam, abscondita est, & fuit: quod nullo modo de Turcis dici potest; qui nunquam Christo nomina sua dederunt.*

Hæc responsio se ipsam euertit. Si enim in Papatu fuerunt *media salutis*; impudens sit, qui Papatum neget fuisse Ecclesiam. Ibi enim est Ecclesia, vbi sunt salutis media. Nec plura, qui saluari cupit, desiderat: & ideò Christus Ecclesiam instituit, vt in ea saluentur homines per media salutis. Ergo nesciunt isti, quid dicant.

Deinde plures alij Protestantes Papatum pro Ecclesia habent. Nam Lucas Osiander apud Brerleium fol. 420. sic scribit: *animum ad ista Pontificia idololatrica sacra non applicuerunt* (intellige, qui olim sub Ecclesia Papali vixerunt ante Lutherum) *tametsi externos ritus non prorsus negligerent, & communi consuetudine quasi rapido torrente abriperentur, vt eadem cum alijs facerent: Multi metu Tyrannidis Pon-*

tificia

tificiæ profiteri non audebant, quòd Pontificios cultus improbarent, quorum infirmitatem Deus tolerauit & condonauit. Idem, Osiander in Epist. Dedicat. Centur. 8. ait: *Ecclesia, quæ sub Papatu fuit, eo tempore, quo Lutherus natus est, fuit Ecclesia Christi, habuit enim ministerium Euangelij, sacram Bibliam, Baptismum, Cœnam Domini, licet aliquot abusibus, erroribus & humanis traditionibus obruta & obscurata. Ideóq; qui sub Papatu ad ministerium Ecclesiasticum fuerunt ordinati (vt Lutherus & multi alij Euangelici Doctores) reuerâ habuerunt legitimam Vocationem ad prædicandum Euangelium Christi, & ad Sacramentorum administrationem, &c.*

De ignorantibus in Papatu, contra Osiandrum.

Sed neque hoc causam Aduersariorum tuetur: Quid enim hinc sequitur, nisi quòd isti *Latibularij*, quoad externam professionem, se gesserint pro Papistis, licet intùs aliud crederent? quod nihil aliud fuisset, quàm impia, & Deo execrabilis Religionis *Simulatio*, ac *Hypocrisis*; si enim tales exteriùs *eadem cum alijs fecerunt*, in pectore autem aliam fidem tenuerunt, quis eos non dixerit impostores? an tales *regnum Dei possidebunt?* an hoc est consentaneum Apostolo, Rom. 10. *ore autem confessio fit, ad salutem?* Certè magnâ iniuriâ afficit Osiander optimos Maiores suos, quibus tam flagitiosam impostu ram imeritò impingit, & affingit, quam non probat, nisi ex muco cerebri sui.

Dicit

Dicit quidem Osiander sub Papatu talibus, qui ob metum, vel ignorantiam aliud opere fecerunt, quàm crederent, ignouisse Deum, & delictum condonâsse. Sed & hoc est ex libris *de diuinatione* desumptum & falsum; nec vllo Scripturæ testimonio roboratum, quia vnde scit, hoc Deum feciſſe? Deinde aliud est ignorantia pura, aliud metus cum scientia melioris. In rebus fidei nullus metus potest esse tantus, qui excuset scientem in casu, vbi necessaria est fidei confessio. Ignorantia tam crassa etiam de illis non potest præsumi: quia fuerunt æquè sapientes, ac nos: & candidiores in multis, quàm sint multi ex Aduersarijs. An non expressè dicit Paulus, 1. Corinth. 14. v. 38. *si quis autem ignorat, ignorabitur?* auditurus videlicet cum reprobis, *Nescio vos.* teste S. Augustſt. epist. 102. sed & de omnibus suis sine exceptione Christus disertè dixit, *Qui me erubuerit coram hominibus, erubescam & ego eum coram Patre meo.* Luc. 8. & Ioan. 10 *oues mea alienum non sequuntur, sed fugiunt ab eo.* & 1. Cor. 6. *Qui consensus Dei cum idolis?* Et 1. Cor. 10. *Fugite ab idolorum cultura.* Romanam autem Ecclesiam, in qua hos *clanculatios* fingunt, pro Ecclesia Idololatrica habent. Ergo ex illa fugiendum fuit, non manendum.

Aliud igitur *Effugium* MOLLES Caluinistæ in Anglia excogitârunt: sic enim scribit

Effugium quorundam Anglorum de Ecclesia Quodlibetica.

bit apud Brerleium, f. 425. Fieldus de Eccles. lib. 3. c. 6. fol. 72. *Sunt, qui à nobis quærunt, vbinam Ecclesia nostra esset, ante Lutherum? Respondemus ibi tunc fuisse, vbi nunc est. Sin vltrà procedant, & quærant, quam Ecclesiam intelligamus? Respondemus notam & conspicuam illam per totum Orbem diffusam, in qua omnes majores nostri vixerunt, & mortui sunt, in qua Lutherus & reliqui Baptismum, & Ordinem suum ac ministerium acceperunt.*

Couvellus Anglus ait, Romanenses esse de familia Christi, id est, de Ecclesia.

Similia habet, lib. 3. pag. 130. Et *Couvellus* in defensione eiusdem, fol. 68. *Romanenses*, inquit, *de familia Jesu Christi esse libenter agnoscimus; dum autem nosmet reformamus, nos non ab illa Ecclesia (* vti sperandum *) segregamus, in qua ante fuimus. In Ecclesia fuimus, & in eâdem manemus, quemadmodum & Romanenses, non obstantibus plurimis eorum erroribus, nihilo minus pars quædam Domus Dei, & visibilis Ecclesiæ Christi membra habendi sunt.* Ita ille apud Brerleium, fol. 426. apud quem etiam sic loquitur *Bunnius* vnus ex Reformatis Anglis in Tract. de Pacificat. sect. 18. fol. 108. *De nostra ab Ecclesiæ decessione quæstio nulla moueri debet. Neq; enim nos distinctam Ecclesiam ab illis constituimus, aut illi à nobis. Nulla ergo prorsùs ab Ecclesia decessio facta est, nec è nobis quisquam, aut ab illis exijt: Solùm controuersia esse potest, quinam saniora Ecclesiæ membra, nósne, an illi censendi sint, nec alia vlla quæstio nobis probatur,* cui consentiunt plu-

plures alij, quibus tamen *Puritani* contradicunt.

Verùm & isti grauissimè errant. I. Quia negant se instituisse priuatam & propriam Ecclesiam, negántque se à Pontificia Ecclesia vnquam discessisse; quod est Solem negare in meridie. Reclamant historiæ, reclamat ipsa hodierna facies Ecclesiæ vtriusque, Protestantium, & Catholicorum; quæ maximo inter se discrimine dissident, tam in cultu, quàm prædicatione, & Sacramentorum administratione. Quis ergo neget esse diuersas Ecclesias? *Responsio ad obiectionem Anglorum.*

II. Quia ex Christi Ecclesia faciunt detestandum cætum, in quo omnium Sectarum & Hæreticorum fœdissimè errantium, Christúmque persequentium colluuies & latrina congregatur; quod impium est cogitare de illa *ciuitate, de qua gloriosa dicta sunt*, psal. 86. v. 3. *Super cujus muros constituit Deus custodes, qui totâ die & totâ nocte, in perpetuum non tacebunt*: Isaiæ 62. 6. *quæ est regnum Dei cœli, quod in æternum non dissipabitur & alteri populo non tradetur*. Daniel. 2. 44. *Quæ est supra petram ædificata, & porta inferi non prævalebunt aduersùs eam*. Matth. 16. 18. *Cum qua Deus pepigit fœdus, in illáq; Spiritum suum, & verba sua posuit in ore illius, quæ non recedent de ore illius, nec de ore seminis seminis illius amodò & vsque in sempiternum*. Isaiæ, 59. 21. *& omnes qui viderint eos,*

cognoscent eos. Isaiæ, 61 9. an non Apostolus expressissimè dicit, Ephes. 4. v. 5. *Unam esse fidem, & Unam Ecclesiam?* Quid autem hoc est aliud, quàm in illa vna Ecclesia Christi non esse nisi vnicam fidem? alioqui quomodo est vna? absurdissimum igitur est, in VNA illa & vera Christi Ecclesia locum dare vnicuique etiam flagitiosissimæ FIDEI, & Religioni quantumuis erranti.

Sed etiam Parei Effugium suprà allegatum examinemus.

Examinatur Parei Effugium, contradictionibus plenum.

Dicit Pareus, Electos temporibus Anti-Christianis fuisse signatos etiam EXTERNA VOCATIONE PER VERBVM ET SACRAMENTA. Item, *sincerâ Veritatis Euangelicæ* PROFESSIONE. Item, *Antichristianismi* FVGA, & EIVRATIONE Item, *separârunt se his NOTIS à face Antichristiana.* Item, *facilè COGNOSCI potuerunt.* Item, *Ideò in FRONTIBVS SIGNATI fuisse* dicuntur, *quia* PROFESSIONIS *suæ eos* NEQVAQVAM PVDVIT; & tamen *in medio Papatu* LATVERVNT. Quis ista pessimè inter se cohærere non videat? dum enim *laterent,* vel cogniti fuerunt Papistis, quoad fidem, vel non? si prius, quomodo latuerunt? si posterius, quomodo fuerunt *externâ vocatione* signati? quomodo Euangelicam veritatem *professi?* quomodo eos *professionis* non puduit? quomodo *facilè cognosci potuerunt?* quomodo se *à face An-*

Antichriſtiana ſeparârunt? an non hæc ſunt contradictoria? De hac *Latitatione* Eccleſiæ plura inferiùs, vbi agemus de inuiſibilitate.

EFFUGIUM IV.

ANte Lutherum, in omnibus illis locis fuit Proteſtantium *Eccleſia, in quibus viguit Apoſtolica doctrina, quæ continetur expreſſa in S. Scriptura: Proteſtantium enim Eccleſiæ nihil aliud credunt, quàm quod ſcriptum; Ergo illorum Eccleſia non eſt Noua, nec aliquid Noui docet; conſequenter antea non fuit* Nulla. *Sic etiam Chriſtus ſuos aduerſarios ablegauit ad ſcripturam, Ioan. 5. v. 39. Paulus ad Moſen & Prophetas, Actor. 26. 22. Nuſquam autem ad durationem, & anteriorem Eccleſiam. Itaq; non tenentur Proteſtantes oſtendere,* vbinam *fuerit ipſorum Eccleſia ante Lutherum. Ita Brochmandus contra ſpeculum Veri. Brandeburgicum, part. 1. cap. 3. fol. 172. & ſeq. Petrus Haberkorn contra Fabrum part. 1. de Eccleſia fol. 505. 506. 513. & ſeq.*

Dicunt ibi fuiſſe Lutheranam Eccleſiam, vbi fuit doctrina Apoſtolica.

Et addit Dorſcheus Lutheranus Argentorat. in ſcrupulis *Religionis, fol. 583. ſcrup. 13. ſi valeret hoc argumentum, tunc etiam Iudæi potuiſſent in Chriſtum id contorquere, quando eorum defectionem à Prophetis, & introductionem tot humanarum Traditionum reprehendit: nempe, vt oſtenderet ipſe quoq; ex Scriptura, & Prophetis aliquem, qui ante ipſum ſic docuerit, vt ipſe; quod tamen non fecerunt.*

RESPONSIO.

Pallium vniuersale ad tegendas omnes hæreses.

I. Hoc Pallium potuit quælibet Noua hæresis suis erroribus prætendere, & adhuc potest; modò admittat Scripturam: sicut olim fecêre Ariani, Nestoriani, Eutychiani, &c. qui Apostolos & sacram Scripturam se sequi gloriabantur; sic etiam hodie faciunt Lutherani contra Caluinianos, & isti contra illos, & Sociniani contra hos & illos. Nihili igitur est hoc *effugium* in omnem partem versatile; nec probat, nisi solâ verborum iactatione, Ecclesiam Protestantium fuisse ante Lutherum: quia quilibet ex hæreticis, ad Scripturam prouocans, Scripturam accipit non in sensu, à Spiritu sancto intento, sed quem vnusquisque sibi fingit; quod est abuti Scripturâ: de quo ita Lutherus, Tomo. 7. in defens. verb. Cænæ. *Cùm singulæ sectæ pro se, suæq; sententiæ confirmatione Scripturam torquerent, eò res reducebatur, vt Scripturæ Authoritas vilesceret, & tandem ignominioso, & blasphemo nomine, liber hæreticorum diceretur, quasi inde omnes hæreses ortæ essent, quia singuli hæretici Scripturæ testimonia allegarent,*

Singuli Sectarij pro se Scripturas citant teste Luthero.

II. Hoc effugium assumit in argumento probationis id, quod est probandum: Hoc ipsum enim negamus, & à vobis est probandum, vestram doctrinam, quam nunc traditis, esse Apostolicam, & Apostolicæ, vt olim fuit, consentaneam. Nec vos hactenus vllum

Probant Aduersarij idem per idem.

vllum pagum, vllam domum oſtendiſtis, in qua tunc viguerit Apoſtolica doctrina ad eum modum, & in eo ſenſu ſacræ Scripturæ, quem vos nunc prætenditis, & illi affingitis: & quidem non ſine magna diſſenſione. Nam verba illa, *Hoc eſt Corpus meum*, aliter Caluiniſtæ, aliter Lutherani, aliter alij interpretantur: ſic etiam de *Omnipræſentia* ſeu *Vbiquitate* Humanitatis Chriſti, quantum eſt inter Lutheranos diuortium Sententiarum? quantum de alijs maximi momenti rebus? Et tamen vnusquiſque veſtrûm iactat ſe ſequi Apoſtolicam doctrinam, in SS. Scripturis expreſſâ. Eſtne hoc ſatisfacere quæſtioni, quando vnaquæque pars diſſidentium ſuam cauſam vno eodémque teſtimonio fulcit, & probat? Apoſtolica ſane doctrina non fuit ita in partes lacerata & diſrupta. Deinde non quærimus hîc de Eccleſia Apoſtolica in confuſo, vbi fuerit, ſed in ſpecie, & in particulari quoad doctrinam determinatâ, ad quam quis ſe conferre ſine periculo potuerit, & debuerit; qui tunc voluit ſaluus fieri; & in qua, ante Lutherum, nulla alia fides floruerit, quàm Apoſtolica: huius Eccleſiæ Doctores nominare debetis, non autem nominabitis, niſi Hæreticos damnatos, etiam à vobiſmet ipſis, & huius quæſtionis nodum non ſoluit hoc Reſponſo Brachmandus.

III. Si nihil noui docent Proteſtantes, ſed

Si nihil noui docent, quomodo Ecclesiam reformârunt?

tantùm id, quod Apostoli olim docuerunt, quomodo ergo *reformârunt* Ecclesiam, vti clamitant? aut cur se *reformatos* aut *reformatores* vocant? potéstne aliqua res *reformari*, & tamen nihil in ea *innouari*, sed omnia in antiquo Statu relinqui? An non Lutherus fassus est suam doctrinam esse NOVAM?

Resp. ad locum, Ioan. 5. scrutamini Scripturas.

IV. Christus Ioannis 5. prouocauit primò ad viuum testimonium Ioañis Baptistæ, v. 33. & deinde ad testimonium Operum, quæ ipse-met fecit, v. 36. & tum ad æterni Patris testimonium, v. 37. quia verò poterant adhuc dubitare, vbinam Pater ipsi testimonium perhibuerit? tandem, ex abundanti etiam ad Scripturas eos dirigit, v. 39. & ait: *Scrutamini Scripturas*, quasi dicat, videbitis ibi, neq; illis, neque Mosi me aduersari, sicuti putatis: quo responso nullo modo excluſit, aut negauit Traditiones; cùm sine illis etiam ipsi Iudæi Canonicas Scripturas ab alijs discernere, aut intelligere rectè nõ potuerint. Igitur clarum est, non ad solas Scripturas illum Iudæos ablegâsse, sed etiam ad alia, vti nos facimus, quibus exemplum Christi non eripit ius quærendi, vbi fuerit Protestantium Ecclesia ante Lutherum? Quod quia in Scriptura nusquam exprimitur; nos ad illam ablegari non possumus, sicut ablegati à Christo sunt Iudæi.

V. Sic etiam Paulus, Act. 26. v. 22. coram Agrip.

Agrippa, dum teſtatur, ſe de Chriſto nihil *EXTRA* docere, quàm quod *Prophetæ & Moſes* de illo *futurum eſſe locuti ſunt*, per Particulam *EXTRA* vel idem intelligit, quod *Contrà*, vel non de vniuerſa doctrina ſua loquitur, quam, manifeſtum eſt, non totam contineri in Prophetis: ſed de certis fidei myſterijs per Propheras prædictis, de quibus ibi agit in ſpecie; nempe de Paſſione & Reſurrectione Chriſti, & de illuminatione totius Mundi; vt ex textu patet, & rectè docet Thomas Henrici in Anatomia Conf. Aug. fol. 273. Quid autem hoc ad rem? aut quomodo hinc ſequitur; Ergo Catholici non debent à Proteſtantibus petere, vbi fuerit illorum Eccleſia ante Lutherum?

Reſpondetur ad locum, Act. 22. 22.

VI. Nec momentum habet, quod obijcit Dorſcheus: quia Chriſtus ſuam doctrinam quàm maximè anterioris Eccleſiæ doctrinâ & teſtimonio demonſtrauit. Omnia enim in V. T. vaticinia, omnes figuras, totámque Legem antiquam Proteſtatus eſt ſe velle adimplere, ita vt *nec jota vnum, aut vnum apicem prætereat de Lege*. Sed oſtendit quoque, *omnia in figura contigiſſe* & vmbrâ; & fuiſſe valdè imperfecta; jam tempus eſſe veritatis & lucis: vt quæ antea adumbrata ſunt, nunc reipſâ præſtentur, & per ſe & in ſe reipſâ repræſententur: ac ne dubitare poſſint, addidit, ſe id legitimè probare, I. per teſtificationem Io-

Reſpondetur Dorſcheo:

annis Baptiſtæ: *Hic venit in teſtimoniũ*, Ioan. I. quem ipſimet habeant pro viro ſancto,& fide digno. II. per *opera ſua*, ſiue per *miracula*, quæ nemo alius fecerit, aut facere potuerit. III. per teſtimonium Patris in S. Scripturis paſſim contentum. Exhibeant nobis Proteſtantes talem probationem ſuæ doctrinæ, ſuæque Eccleſiæ ante Lutherum.

EFFUGIUM V.

SAtis eſt, quòd Papiſtis demonſtretur, ipſos defeciſſe à regula fidei: ex quo per ſe ſequitur, quòd etiam defecerint ab illis ſanctis cœtibus, in quibus Lutherana fides prius (id eſt ante Lutherum) fuit tradita. Dorſcheus *in Scrupulis, fol. 503. 504.*

RESPONSIO.

Regula Lesbia Dorſchei ſeruit etiam Caluiniſtis contra Lutheranos.

I. Hoc telo etiam poſſunt Caluiniani vti contra Lutheranos, & ſic probare ſuam Eccleſiam eſſe veram, non autem Lutheranam; nam etiam in ijs, in quibus diſſident à Lutheranis, Lutheranos dicunt defeciſſe à Regulâ fidei. Valet igitur argumentum etiam contra ipſum Dorſcheum; aut nihil valet contra Catholicos.

II. Falſum eſt, quòd vſquam etiam in minimo angulo Orbis, ante Lutherum, fuerit tradita fides Lutherana, quà Lutherana, aut vllius alterius Proteſtantis, hactenus enim

nullum

nullum locum potuerunt nominare, in quo huiusmodi illorum doctrina priùs vnquam audita sit. Est igitur fallacia petitionis principij, & assumitur pro probatione, quod est probandum.

III. Fallum est cœtum illum, quem confingit Dorscheus, ante Lutherum, fuisse *sanctum*. Sanctus enim esse non potuit, si non cum communi & vniuersali visibili Ecclesia consensit. Itaque iterum supponit pro concesso, quod est in quæstione & à nobis negatur.

IV. Adhuc nunquam demonstrârunt Aduersarij, nos Catholicos *à regula fidei defeciſſe*, sed potiùs nos demonstrauimus, ipsos hoc defectu laborare. Nam *regulam fidei* ipsi turpiter mutilant; quæ non est sola *sacra Scriptura* (vt ipsi fallò dicunt) sed cum ipsa est etiam *Traditio:* Scriptura enim tantùm est regula fidei *partialis* & *inadæquata:* cum *Traditione* verò est *adæquata* & *totalis*, vt in Colloquio Ratisbonensi ostenderunt Catholici; & experientia docet, ipsos protestantes aliqua credere, quæ non sunt scripta, inter quæ hoc ipsum Protestantium fidei fundamentum est, quo maximè tota ipsorum machina nititur, *Nihil esse crēdendum, nisi quod est scriptum*, & sic sibi ipsis contradicunt; Ostendant etiam scriptum in Scriptura extra Canonem Scripturæ, quem ipsi sequuntur, non esse ali-

os libros canonicos? Certè hactenus ostendere nunquam potuerunt: Inualidas enim illorum consequentias dudum refutârunt Catholici. Et tamen credunt hunc esse Canonem, quod nusquam scriptum.

Quomodo S. Scriptura sit regula fidei.

V. S. Scriptura non est *Regula fidei* etiam partialis, nisi in vero & legitimo sensu, quo illi carent. Verum enim sensum in controuersijs fidei, quando vtraque pars dissidentium Scripturam pro se allegat, illum esse dicimus, qui est publicæ interpretationi antiquæ Ecclesiæ & consensui SS. Patrum per tot anteriora sæcula consentaneus: Ex quo tamen nominimè sequitur, nos authoritatem SS. Patrum authoritati S. Scripturæ anteponere, vt nobis falsò imponunt. Fatemur enim cum Bellarmino lib. 2. de Concil. c. 12. & in primis cum Concilio Tridentino, *sacram Scripturam continere purissimum & infallibile Dei Verbum, eiúsq; authoritatem immenso interuallo quorumuis hominum quantacúnq; authoritate, eruditione, & sapientia præpollentium authoritati præferendam* Itáque cum ex SS. Patrum Scriptis constare possit, quid vetus Ecclesia, Christo & Apostolis propinquior, de hodiernis Controuersijs intellexerit, quis non videat hanc veteris Ecclesiæ sententiam rectissimè & rationabilissimè à nobis, Protestantium nouis interpretationibus Scripturarum opponi & anteponi? in quo non ho-

minum

minum placita, sed Scripturam in legitimo sensu acceptam sequimur, testimonia autem Patrum nobis applicant legitimum Scripturæ sensum.

VI. Tertullianus ait lib. de Præscript. *Despici debet cui* COMPETAT POSSESSIO SCRIPTVRARVM. Item, *quibus competat fides ipsa, cuius sint Scripturæ: à quo, & per quos, & quando, & quibus sit tradita disciplina, quâ fiunt Christiani. Vbi enim apparuerit esse Veritatem disciplinæ, & fidei Christianæ* (quam ex antiquitate, & successione perpetua colligit) ILLIC ERIT VERITAS SCRIPTVRARVM, & expositionum, & omnium TRADITIONVM Christianarum.

EFFUGIUM VI.

HOc postulatum (inquiunt) repugnat ipsis (Catholicis) à quibus eodem iure possumus petere, vt ostendant nobis aliquam Ecclesiam, vel vnicum Doctorem antiquum nominent ex secundo, 3. 4. 5. aut sexto sæculo, qui in omnibus articulis fidei Papisticæ consenserit. Hoc enim rem non conficit, quod illi ex vno antiquo Patre hoc, ex alio aliud corradunt, & ad palliandos errores suos, qui irrepserę contorquent. Sicut enim ipsi in vna Communitate, & vno Doctore à nobis petendo perseuerant, & talem

Etiam à Catholicis posse pariter postulari, vt ostendant suæ Ecclesiæ similem, in 2. 3. & 4. sæculo.

lem à nobis habere volunt, ita & ipsi debent nobis talem sistere. Hactenus autem ne vnicum talem Patrem ex primis septem sæculis solidè potuerunt nominare: Editæ quidem sunt Confessiones ex Ambrosio, Basilio, Chrysostomo, Augustino, Hieronymo & alijs, &c. sed in his ipsis prodiderunt imposſibilitatem suam, dum talia Patrum loca producunt, vt sit dedecus. D. Hunnius in suo libro de Papistarum Apostasia à vetri Ecclesia, singularem habet partem de Nouitatibus Papisticis in Ecclesiam introductis. Ita Dorscheus ibidem, fol. 504. & seqq.

RESPONSIO.

Negamus pariter & eodem iure posse hoc Protestantes à Catholicis petere, quod petunt à Protestantibus Catholici.

I. Quia Catholici probant suam continuam successionem pastorum ab Apostolis: hoc non possunt Protestantes. Ergo non est par ratio. *Edant* (inquit Tertull. de Præscript.) *origines Ecclesiarum suarum, euoluant ordinem Episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, vt primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseuerauerit, habuerit auctorem, & successorem. Hoc enim modo Ecclesiæ Apostolicæ* CENSVS SVOS DEFERVNT, *&c. Sicut* ROMANORVM *Clementem à Petro ordinatum refert, &c.*

II. Quia

II. Quia Catholici dudum ante Lutherum fuerunt in poſſeſſione quieta ſuæ fidei & doctrinæ, & ab huiuſcemodi Aduerſarijs, quales ſunt hodie Proteſtantes, qui talia omnia in ſpecie traderent, nunquam olim impugnati: quo caſu *melior eſt conditio poſſidentis*. Ideò Catholici non tenentur pari modo edere TITVLVM ſui Iuris, aut poſſeſſionis, ſicut Proteſtantes.

III. Ex eodem fundamento Catholici jam PRÆSCRIPSERVNT aduerſùs omnes POSTERIORES, vt ſupra in 6. Rat. dubit. dictum, & circa finem in Effugio ſpeciali Dorſchei dicetur. Præſcriptio autem aduerſùs hæreſes ex mente Orthodoxæ antiquæ Eccleſiæ, non eſt plumbeum telum.

IV. In articulis fidei ad ſalutem neceſſarijs, & illo tempore SS. Patrum jam clarè definitis, omnes Orthodoxi Patres prorſùs idem, quod Catholica Eccleſia hodie docet, docuerunt & crediderunt: Tantum abeſt, vt nec vnum nominare poſſimus, vt nominemus OMNES. Etſi autem non omnes aſſerant, omnes & ſingulos fidei articulos explicitè & expreſſè, quos hodie tradit Romana Eccleſia, ſed aliquos duntaxat, cauſa tamen non eſt, quòd illos negauerint, ſed quòd multorum Scripta interierint; aut non ſingulis occaſio fuerit ſuam mentem ſcribendi de omnibus: quia tales controuerſiæ tunc

Catholici ex SS. Patribus dudum probârunt, illos in 2. 3. & 4. ſæculo nobiſcum ſenſiſſe in articulis fidei.

NOR-

nondum vigebant: aut tunc nondum ab Ecclesia definitæ erant, nihilominus tamen nullus eorum est, qui in definitis Controuersijs expressè nobis contradixerit, aut contrarium docuerit Romanæ Ecclesiæ. E contrario autem nobis perquàm facile est ostendere plurima testimonia SS. Patrum ex primis quinque sæculis, qui in præcipuis fidei articulis nobiscum contra Protestantes expressè senserunt; vt non solùm videre est in Thesauro Iodoci Coccij, in Catechismo maiore Petri Canisij; in Iacobi Gaulterij Tabula Chronographica, per singula sæcula, in Bellarmino, in via compendiaria Eilbrachtij, & alijs Catholicis, sed etiam in ipsis Centuriatoribus Magdeburgicis. Fallum igitur est, nos ex vno antiquo Patre hoc, ex alio aliud corradere, quemadmodum faciunt Protestantes, qui miserrimè SS. Patres pro se allegant, vt quidam Protestantium meritò dixerit: *Nos non habemus fortunam, cum Patribus: ad Scripturam, ad Scripturam.*

V. *Confessiones* ex SS. Ambrosio, Basilio, Chrysostomo, Augustino, & Hieronymo, &c. Fateor editas, & etiam Crucem in oculis Protestantium fuisse, & adhuc esse; ex quibus profectò sæpiùs frontem corrugant Prædicantes, quàm explicant. De Nouitatibus Papisticis ab Hunnio editis respondebitur, vbi nominabuntur: sed jam responsum est

in

in Antiquitate Papatûs contra Molinæum, parte 1. lib. 1.

EFFVGIVM VII.

EX ipsis Catholicorum Scriptoribus tam scripturarijs, & scholasticis, quàm historicis & Controuersistis etiam posteriorum ac modernorum temporum, demonstrari potest, Lutheranorum Ecclesiam non esse NOVAM, sed antiquioris Ecclesiæ authoritate ac suffragijs nixam & suffultam, quæ in doctrina fidei & interpretatione Scripturæ suffragatur vel hodie Lutheranis: & hoc verum esse, conatur probare *Confessio Catholica* Ioannis Gerardi, Ienensis professoris Lutherani, contra Bellarminum in 4.

Gerardus ex Catholicorum libris probat Lutheranissmum.

RESPONSIO.

I. Pleraque, quæ adducit Gerardus contra nos, etiam fauent Caluinistis, & alijs Sectarijs; exceptis ijs, in quibus dissident Lutherani à Caluinistis: Æquè igitur per illum librum probat Caluinianam Ecclesiam esse veram, ac Lutheranam: quod ipsimet aduersatur: non enim potest Ecclesia esse vera, nisi VNA. Caluinianam autem & Lutheranam esse vnam, vtrique negant.

Gerardus quomodo probet, postea Exemplis demonstrabitur.

II. Idem *Gerardus* in testimonijs Catholicorum citandis creberrimè fallit, aut non fideliter verba exscribendo; aut illa ad alium sensum, quàm dicta sint, malè detorquendo:

aut

aut hæreticos, vel ſemi hæreticos (qualis fuit Eraſmus & Caſſander) pro Catholicis allegando; aut alijs denique modis deprauando; vt nemo illi, qui Catholicorum libros non inſpexerit, tutò credere poſſit. Quam malè autem, & quâ fide ſuos libros conſarcinauerit Gerardus, inferiùs aliquot documentis demonſtrabimus.

EFFUGIUM VIII.

De Muliere apocalyptica. ex Tigurino.

APocalips. 18. deſcribitur *mulier amicta ſole*; quæ alis aquilæ ſubnixa volauit in ſolitudinem, ibíque diu manſit: & hæc mulier ſine vlla dubitatione eſt Eccleſia. Hoc tempus autem in ſolitudine manentis Eccleſiæ, commemoratur Apoc. 12. v. 6. 14. & cap. 11. v. 2. Daniel. 9. v. 24. & eſt hoc ipſum tempus ante Lutherum, quo Eccleſia Proteſtantium in Papatu occulta & incognita fuit; videlicet mille, ducenti, ſexaginta dies Prophetici, ſignificantes totidem communes annos naturales. Id quod etiam per nomen Reformationis indicatur. Reformare enim eſt rem abolitam ac deſtructam iterum formare, & ad primum nitorem ac formam reducere. Ita libellus (vt videtur) Tigurinus, ſub titulo, der Reformirt Catholiſch Glaub. fol. 89. 90. 91. Anno 1640. in forma minima impreſſus.

Porrò (addit libellus) qui vult ſcire, vbi-

nam

nam, & quinam illi fuerint, & quo nomine appellati, quis illos nouerit, qui ante Reformationem, Proteſtantium fidem ſecuti ſunt, habet reſponſum ex hiſtorijs Martyrum minorum & maiorum, ibi videbit, quot & quanti ſe oppoſuerint Eccleſiæ Romanæ. In eodem *libello Tigurino*, fol. 113. 114.

RESPONSIO.

Apertè vitioſum eſt hoc argumentum, Si Eccleſia latuit mille ducentis ſexaginta annis, neceſſariò ſequitur, illam fuiſſe *inuiſibilem* eo tempore, quo maximè *floruit*, & per Orbem vniuerſum dilatata ac conſpicua fuit; quod ſibi ipſi repugnat. Probatur ſequela. An non tempore Conſtantini M. hoc eſt anno 320. (poſtquam ceſſauerunt in Chriſtianos ſæuire cataſtæ, gladij, cruces, & rotæ, &c.) quàm maximè alas ſuas explicuit Eccleſia, & longè latéque eſt propagata? An non tunc cæpta ſunt haberi Concilia Generalia, & conuentus grauiſſimorum, & ſanctiſſimorum Virorum ex omnibus partibus Orbis congregatorum? an non iterum Conciliorum quatuor prima, ipſi Proteſtantes in ſuis *Fidei Confeſſionibus* fatentur ſe recipere? Interea, quàm multi ſancti, & quàm illuſtres fuſſerunt in Eccleſia Doctores? Athanaſius, Hilarius, Baſilius, Cyrillus, Hieronymus, Chryſoſtomus, Ambroſius, Auguſtinus, & ſimiles, qui omnes intra hos mille ducentos & ſexaginta

Quàm malè dicoris numerare Tigurinus.

assignatos annos vixerunt: Ergóne tunc *invisibilis* fuerit, & delituerit illa *Mulier* in Solitudine? Imò satis diu ante Constantinum jam eò profugerit? Nam si computum retrorsùm faciamus ab anno 1517, per *subtractionem* mille ducentorum & sexaginta annorum, perueniemus ad annum Christi 257. adhuc durantibus persecutionibus: Quis autem dixerit, Ecclesiam tunc *inuisibilem* & incognitam fuisse? Nunquam enim magis eluceſcit & cognoscitur Ecclesia, quàm cùm maximas persecutiones patitur: cùm Martyrio afficiuntur plurimi: cùm glorioſissimi Athletæ Christi in publicum theatrum producuntur, bestijs committuntur, & fidem suam profiteri non erubeſcunt: cùm carnifici colla præbent, & sanguinem pro Christo hilares ac læti profundunt. Sed & ipse author prædicti libelli, fol. 104. ait, Ecclesiam *primùm volare cæpisse in solitudinem*, postquam persecutiones cessârunt. Atqui anno 257. nondum cessârunt. Ergo falsum est, tunc Ecclesiam fugisse in solitudinem: Ergo malè interpretantur Aduersarij hunc locum Apocalypseos de annis, qui de diebus est intelligendus, vti copioſè ostendunt Catholici, maximè Bellarminus, lib. 3. de Rom. Pont. cap. 8. ex SS. Patribus.

Ecclesia tunc maximè claresci, quando maximè persecutiones patitur.

11. Vnde probant Aduersarij, per *solitudinem* hîc intelligi necessariò locum desertum,

& ab hominum ſocietate ſecretum; per *Mulierem* verò vniuerſalem Eccleſiam? Nam longè veri' eſt, quod aliqui dicunt, *perfugam in ſolitudinem*, intelligi ſeceſſum à vitijs & peccatis ac Mundi huius illecebris & oblectationibus, iuxta illud Prophetæ, *Ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor eius*, Oſeæ. 2. aut certè per hanc *ſolitudinem* intelligi gentes, ad quas primitiua Eccleſia ſe conuertit, vt ipſis Euangelium prædicaret; quando Iudæi illam ſunt perſecuti: per *Mulierem* autem non intelligi *Vniuerſalem Eccleſiam*, ſed vnam celebriorem particularem, vti fuſiùs explicaui in *Antiquitate Papatûs*, parte 1. fol. 83. Vniuerſalis enim Eccleſia nunquam deficiet, quia *portæ inferi nõ præualebunt aduersùs eam*. Matt. 16.

In qua ſolitudine fuerit illa Mulier.

Hiſtorias illas Martyrum Proteſtanticorum, de quibus hîc fit mentio, accenſeo Illyrici *Catalogo teſtium Veritatis*, qui rectiùs *Catalogus teſtium falſitatis* diceretur, cui profectò inſerti ſunt multi Sectarij, quos nec Lutherani, nec Caluiniani agnoſcunt pro ſuis, quibus, ſi placet, poſſunt adiungere quoq; Michaëlem Seruetũ, quem Caluinus curauit viuum comburi. *Non pœna facit Martyrem, ſed cauſa; Si tradidero corpus meum* (inquit Apoſtolus) *ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.* 1. Corinth. 13. v. 3. Quomodo autem charitatem habuerint illi veſtri Martyres, qui Eccleſiam ſuis errorum vnguibus

Martyres Proteſtantici non fuêre Martyres Chriſti.

tam fœdè lacerârunt? & tot animas ad Orcum miserunt? Wann leyden soll heilig heissen / vnnd heilig machen (inquit Lutherus, Tomo. 2. VVitt. Ger. fol. 259.) muß zuvor Vnschuld da seyn. Vt taceam Catalogum illum esse plenum apertis mendacijs, quibus iustissimè opponimus notum illud *Theatrum Crudelitatis Calvinisticæ* in Belgio & Anglia à Reformatis exercitæ: Martyres item innumerabiles, qui pro fide nostra Catholica glorioſè tot sæculis occubuerunt, præsertim in Indijs & Iaponia.

EFFVGIVM IX.

Suppressa esse à Papistis omnia monumenta antiqua Protestantium.

OGgerunt, fuisse quidem olim singulis sæculis Pastores & Doctores notos & visibiles, qui fidem Protestantium defenderint, & Romanam oppugnauerint, sed Tyrannide Papæ, & iniuriâ temporum omnia monumenta illorum suppressa & penitus extincta esse. Ita aliqui apud Brerleium, fol. 330.

RESPONSIO.

Vanissimum commentum Protestantium.

Hoc vanissimum commentum est. 1. Quia nullâ authoritate, nullo teste firmatur. 2. Quia contrarium de facto constat ex Scriptis Hussi, VViccleffi, & aliorum Hæreticorum, quæ adhuc extant; & licet potuissent, non tamẽ suppressa fuerunt. 3. Imò nec dubiæ quidem

dem fidei, aut apertè falſæ lucubrationes hæreticorum è medio ſublatæ ſunt, vt ſunt libri Carolini, Epiſtola S. Vdalrici, Bertramus de Euchariſtia, & ſimilia. 4. Concilia noſtra œcumenica naſcentes vbique errores liberè recitant, & condemnant. 5. Sed & alij Authores ingentia volumina ediderunr, quibus tales errores Romanæ Eccleſiæ contrarios refutârunt. 6. Hiſtorici & Chronographi noſtri Eccleſiaſtici, ipſo VVitakero iudice, contra Duræum, lib. 7. f. 469. diligentiſſimè ſingulis ſæculis omnes nominant, qui Romanæ Eccleſiæ in aliquo contradixerunt, aut quos ipſa Eccleſia Romana velut errantes oppugnauit, vt videre eſt in Genebrardi Chronol. Sandero de Monarchia Eccleſ. Gaulterij Chronographica Tabula, Baronio & alijs: Quâ ratione multorum infamium hæreticorum nomina celebrantur; quæ alioqui æternis tenebris eſſent ſepulta. 7. Ipſi Proteſtantes multa dogmata contra Catholicos, non aliunde, quàm ex noſtrorum Hiſtoricorum libris depromunt, & ſuis ſcriptis inſerunt, licet priſcis ſæculis fuerint damnata. Audiamus VVittakerum paulò antè citatum: *poſt Apoſtaſiam inuectam, & Tyrannidem Antichriſti conſtitutam, nullus vnquam Hiſtoriam ſcripſit, qui non Eccleſiæ noſtræ doctrinam, mores, inſtituta ſemina, aduerſarios commemoret, ita veſtris hiſtorijs noſtræ Eccleſiæ memoria viget,*

& qui Pontificij regni res narrare conati sunt, ij nostræ Ecclesiæ testes sunt, apud Brerleium, f. 332. Ecce! quomodo gloriatur VVittakerus, res Protestantium ante Lutherum ab ipsis historicis Catholicis, litteris ad posteritatis memoriam fuisse propagatam? falsum igitur est ipso teste, talia à Catholicis sileutio esse præterita; aut dolo malo per tyrannidem suppressa.

EFFUGIUM X.

Protestantium Ecclesia semper fuit in Orbe: quia semper fuerunt aliqui Electi, qui se opposuerunt.

DIcunt communiter Protestantes. I. Suam Ecclesiam ante Lutherum toto Orbe diffusam fuisse: quia semper fuerunt aliqui *electi*, modò hic, modò illic, vbi Deus seruauerit suam Ecclesiam: quia aliqui semper pij deplorabant errores, & reprehendebant in Ecclesia, alij magis, alij minùs: & hoc inde constare, quòd talibus ipsi Romanenses se opposuerint, contra illos scripserint. Cum istis ergo pijs communicant etiam hodie Protestantes, quicunque idem credunt, quod illi.

II. Sic *Reliquiarum* superstitiosum cultum in Gallia à *Vigilantio*: *Virginitatis* præpostera commendationem in Italia ab Iouiniano: *Orationes pro defunctis* in Oriente ab Aërio: & *imaginum venerationem* in Græcia ab alijs doctis & pijs fuisse oppugnatam ante 800. & plures annos: postea à Berengario ante 500.

annos

annos, corruptelam *Cœnæ Dominicæ*, & errores circa *præsentiam Corporis Christi* vituperatos: paulò post Abailhardum Philosophum Parisiensem cum quibusdam sociis, Euangelicæ lucis facem accendisse: mox VValdenses, Pauperes de Lugduno, & Albigenses secutos; qui ferè omnes sanctiones Ecclesiæ Romanæ damnârunt. Quibus successit Ioannes VVicleff. & eius discipulus Ioannes Huss: & Hieronymus Pragensis, qui poluerunt animas pro Ecclesia Protestantium, donec tandem Lutherus exoriretur, & palàm Reformationis fieret initium.

RESPONSIO.

I. Si hæc omnia daremus (quod non facimus) non tamen probarent, Protestantium Ecclesiam, esse illam *perpetuam* & *continuam* Ecclesiam, cum qua Christus *fuerit omnibus diebus*: in qua *nunquam verba Dei recesserint ab ore fidelium, nec ab ore seminis seminis illorum, &c.* quia nimis multa & longa interualla temporis ac silentij inter has sectas intercesserunt: vt ex Historijs notum. *I. Negatur consequentia.*

II. Omnes eiusmodi oppugnatores nostræ Catholicæ doctrinæ, tam antiquiores, quàm iuniores, ab Ecclesia Catholica, & perpetua illa Apostolica, ac Romana, hæreseos semper sunt condemnati; vt de antiquioribus constat ex S. Epiphanio, S. Augustino, & S. Damasceno, lib. de hæresibus, de posteriori- *II. Fuerunt tales hæretici.*

rioribus constat ex varijs Concilijs. Contra Iconomachos enim pugnauit Nicenum 2. Generale 7. contraBerengarium, Romanum & Vercellense; contra Albigenses, Lateranense; per Alex. 3. contra VVicclefistas, & Huslum, &c. Constantiense, &c.

III. Condemnati. III. Illa Ecclesia hos condemnauit, quæ olim omnes alios hæreticos, Valentinianos, Marcionistas, Sabellianos, Manichæos, Arianos, Macedonianos, Nestorianos, Eutychianos, Monothelitas, Donatistas, Pelagianos, cæteróſque omnes damnauerat, quam damnationem ipsi quoque Protestantes approbant. Si ergo non errauit, priores hæreses damnando, cur erret damnando posteriores?

IV. Contra hos omnes hæreticos eorúmque dogmata, semper Romana Ecclesia *præualuit*, aduersùs quam *ne portæ quidem inferi prævalebunt*. Matth. 16. non ergo illi vera Ecclesia, sed perfidi hæretici fuerunt.

V. Plerique eorum præter illa, in quibus cum Protestantibus sentiebant, varijs alijs hæresibus imbuti fuerunt, quas ipsi *Protestantes* nobiscum damnant: Nam Aërius Arianam hæresin secutus est, teste S. Epiphanio, hæresi 75. Iouinianus docuit, post Baptismum hominem peccare non posse; S. Aug. de hæres. hæres. 82. Constantinus Copronymus Iconomachus, Beatam Virginem cum

Nestorio

Nestorio negauit *Deiparam* esse; & victimas humanas dæmoni obtulit, teste Suidâ in Lexico. Petrus Abailardus grauissimos habuit errores de SS. Trinitate, de generatione Filij Dei, de processione Spiritûs sancti, de anima & persona Christi, vt commemorat S. Bernardus, epist. 188. 190. VValdenses & paupere de Lugduno cum Husso quales fuerint doctrinâ & opere, descripsi in Manuali Lutheranorum à fol. 687. vsque ad 720. qui in plurimis à Protestantibus discrepabant. de VValdens. plura Abbas Vrsperg. anno Christi 1212. de alijs etiam Guido Carmel. in summa de Hæresibus: Ioan. de Turrecrem. lib. 4. p. 2. cap. 35. Æneas Syluius de Orig. Bohemorum, c. 3. Thomas VValdens. doctrin. fidei. lib. 1. cap. 34. 38. & 42.

VI. Nullus horum omnium, in omnibus fidei dogmatibus primarijs, & ad salutem necessarijs, cum Protestantium hodierna doctrina consensit, etsi in quibusdam quidam, alij in alijs, & rursùs alij in alijs conuenerint: in multis tamen etiam Catholicam Romanam fidem, prout à Protestantiũ fide distinguitur, amplexi sunt, vt de Husso ostendi in *Manuali* citato loco.

VII. Ex his omnibus sequitur electos illos, quos Protestantes sibi vendicant, & in ijs Ecclesiam suam seruatam iactant, etiam Protestantium iudicio, hæreticos fuisse; & in

pluribus à Protestantibus dissensisse, ideóque ad illos, sine aperta & absurdissima contradictione prouocari ab ipsis non posse.

Effugia Particularia, contra Visibilitatem Ecclesiæ.

I. EFFUGIUM.

Ecclesia debet credi, ergo non videri.

SI Ecclesia necessariò est visibilis, delea-tur articulus Symboli: *Credo Ecclesiam sanctam Catholicam*, & dicatur, video, & sentio Ecclesiam sanctam Catholicam; quia *quod quis videt, quomodo credit?* Fides non est de ijs quæ cadunt sub sensum. Ita passim omnes Protestantes.

RESPONSIO.

I. Argumentum est tale. Homo est secundum animam inuisibilis: ergo simpliciter est inuisibilis: negatur consequentia à parte ad totum; à *secundum quid* ad *simpliciter* nõ valet consequentia. Æthiops secundum dentes est albus: ergo est simpliciter albus? Hoc est Vtopicum argumentum.

II. S. Thomas Apostolus vidit & palpauit Christum post resurrectionem; nihilominus audiuit à Christo: *Quia vidisti me Thoma, credidisti.* Vidit hominem, credidit Deum, quem secundùm diuinitatem non vidit; quia catenus inuisibilis est. Sic in Ecclesia vide-

videmus cætum fidelium in carne, credimus eum esse Ecclesiam in Spiritu, Ita Sacramenta sunt signa visibilia *quo ad se*, quæ videmus; inuisibilia, *quo ad gratiam*, quam efficiunt, & nos credimus, & non videmus. *Confiteor vnum Baptisma*, quod video; *remissionem peccatorum*, quam credo.

III. Deleantur igitur ex Euangelio illa verba: quia *vidisti me Thoma, & credidisti*: aut fateantur *Aduersarij, nugatorium esse suum argumentum.*

II. EFFVGIVM.

ECclesia Catholica simpliciter nec localis est, nec temporalis; sed abstrahit à loco, & tempore. Ergo non debet dici visibilis.

Ecclesia abstrahit à loco & tempore, ergo non est visibilis.

RESPONSIO.

I. Si non est localis, membra eius non habebunt corpora: quia omne corpus naturaliter requirit locum, hîc autem non oportet fingere miraculum sine necessitate: Idem dico de tempore, quia Ecclesia non est in æternitate, quamdiu militat in mortali corpore.

II. Grauiter errant Aduersarij. Hic enim non agitur de Ecclesia abstractè, confusè, in *Vniuersali*, indeterminatè ac abstractè ab hac vel illâ congregatione fidelium, quæ sibi nomen Ecclesiæ possit quoquo modo tribuere

& affir-

& affingere; ſed de Eccleſia definita, & certa *in ſingulari*; ſicut, cùm quæritur vtrum Sol luceat, de hoc numero ſole quæritur; ita loquimur de hac ſingulariter à Chriſto inſtituta, promiſſionibus diuinis tùm Veteris, tùm Noui teſtamenti firmata ac munita Eccleſia, quæ non poteſt ab omni loco & tempore abſtrahere, vt optimè notauit Suarez in defenſione fidei, lib. 1. cap. 8. n. 2. Igitur vanum eſt hoc Effugium.

III. EFFUGIUM.

Paſtores Eccleſiæ Proteſtantium in occulto latuerunt.

QUamuis Eccleſiæ Proteſtantium Paſtores, & Doctores tot ſæculis incogniti fuerunt, & eâ ratione inuiſibiles, non tamen ſequitur, illos in Mundo non fuiſſe, vſque ad Lutherum, ſed toto illo tempore in occulto exſtiterunt, ſicut ſeptem illa fidelium millia, quæ Eccleſiæ incognita fuerunt. 3. Reg. 19. 18. cùm ſe ſolum relictum Elias quæreretur, ibidem, v. 10. Ita plerique Proteſtantium.

RESPONSIO.

I. An non hoc eſt figmentis palpabilibus velle malam cauſam defendere? Si enim tanto tempore paſtores Proteſtantiũ fuerunt incogniti, & in occulto, neſcio, quo antro latuerunt, vnde Proteſtantibus hoc innotuit? quis vidit? quis audiuit? reſpondent pro-

profectò, ſicuti iuſſerunt Iudæi reſpondere milites ad Domini ſepulchrum: *dicite, dormientibus vobis, veniſſe diſcipulos, & ſuſtuliſſe corpus*. Si dormiêrunt? quomodo ſcire potuerunt hoc factum à diſcipulis?

II. De latentibus illis ſeptem millibus habemus expreſſam Scripturam. Oſtendant Proteſtantes expreſſam Scripturam, quòd illorum Paſtores ita latuerint.

III. Eſto, illa 7. millia tunc Eliæ incognita fuerint, non ſequitur tamen, illa cæteros omnes illius temporis homines latuiſſe: non probat igitur hoc factũ, quòd etiam omnes omnino Proteſtantium Doctores & Paſtores per tot ſæcula, quot in caſu noſtro numeramus, vniuerſo Orbi abſconditi fuerint, ita vt de illis etiam in hiſtorijs ne minima quidem memoria, aut veſtigium extet. *De 7. millibus tempore Eliæ.*

IV. Exemplum Eliæ nobis potiùs fauet, & nocet Aduerſarijs: quare illud aut non intelligunt, aut malè applicant. Conſtat enim Eliam à facie Iezabelis vxoris Achab, quæ illi' vitæ inſidiabatur, tunc in ſpelunca montis Oreb loco deſerto delituiſſe, cùm ſe ſolum relictum conquereretur, nec de vniuerſa Iudæa, ſed de regno Iſrael tantùm locutum eſſe; in quo tunc regnabat Achab, & in quo ille peregrinus latebat, quod patet: Tùm quia Deus illi reſpondens ad illud ſolum regnum reſpexit dicens; *Dereliqui mihi in Iſrael 7. millia,*

lia, quorũ genua non ſunt incuruata ante Baal, &c. de quibus ipſi Eliæ jam antea centum innotuerant. Tùm quia eo ipſo tempore in regno Iudæ Eccleſia Dei egregiè floruit, adeóque ipſi Eliæ nota fuit, ſub duobus regibus optimis Aſa & Ioſaphat; qui tempore Achab regnârunt: Quâ eâdem tempeſtate tanta fuit fidelium multitudo, vt ipſi milites ad multa centena millia excreſcerent. Ergo Eccleſia tunc nõ ſolùm conſpicua, ſed & illuſtris fuit.

Ipſi Proteſtantes nonnulli agnoſcunt ineptum eſſe hoc effugium.

V. His adſtipulatur non modò *Enoch Claphamus* Proteſtans Anglus in *Antidoto Schiſmatis.* fol. 17. apud Brerleium in apolog. Proteſt. fol. 326. 327; ſed & ipſe Philippus Melanchton in Corp. Doctrin. fol. 330. Verba Claphami hæc ſunt: *Reformatores noſtri imperiti dicunt, Eccleſiam tempore Eliæ inuiſibilem fuiſſe.* Reſp. *Spiritus ſanctus teſtatur, hoc eum de Iſraële, non de Iuda dixiſſe: Sciebat enim bonum illum Ioſaphat in Iuda regnare, ibiq; Eccleſiam non modò viſibilem, ſed & ſummâ pietate florentem extare.*

VI. Etiam dici poteſt inualidum eſſe argumentum à Synagoga ad Eccleſiam Chriſti; cùm teſte Apoſtolo, Hebr. 8. v. 4. hæc Eccleſia *melioribus repromiſſionibus ſancita ſit*, quòd *Chriſtus melioris Teſtamenti mediator ſit.*

Diſcrimẽ inter Synagogam

Licet igitur tempore Eliæ ſic defeciſſet Eccleſia fidelium, vt inuiſibilis eſſet (quod tamẽ verum non eſt) non inde ſequeretur, quòd poſt

post Christi aduentum in Ecclesia Christi idem fieri possit aut debeat: quia est maxima disparitas, quæ etiam in hoc apparet, quòd Ecclesia sit libera, Synagoga fuit ancilla: illa per Saram Dominam, hæc per Agar famulam designata, Galat. 4. 24. at Agar fuit dimissa & repudiata, non item Sara. *& Ecclesiam Christi.*

Rursùs, Ecclesia Christi est vniuersalis tam ratione loci, quàm hominum Saluatorum: & extra illam saluari nemo potest; Synagoga erat particularis, non autem Catholica; quia extra illam etiam erat locus saluti, vt patet in Iob, Niniuitis, &c. Synagoga continebat legem timoris, hæc gratiæ.

Item, Synagoga fuit tantùm vmbra futuræ Ecclesiæ Christi. Hebr. 10. 1. Ecclesia verò Christi continebat Lucem, Christum; Ioan. 1. 9. at non est par omnino ratio vmbræ & lucis; figuræ & figurati. Quare si perfectiones veteris Ecclesiæ ad nouam sint transferendæ, esto, in ijs valeat argumentum, non tamen valet, si à defectibus & imperfectionibus veteris Ecclesiæ ad nouam argumenteris.

Obijcies. Etiam Synagoga habuit maximas & fortè maiores promissiones, quàm Ecclesia, & tamen defecit. vt Deut. 4. *non est alia natio tam grandis, &c.* & psal. 147. *non fecit taliter omni nationi:* & 3. Reg. 9. *vt ponerem nomen meum ibi in sempiternum, &c.* nempe in templo Salomonis, &c. *Obiectio de Synagoga ex S. Augustino dissoluitur.*

Resp.

Resp. (cùm S. Augustt.) promissiones tales veteri Synagogæ factas esse nõ propter se sed propter Ecclesiam noui Testamenti; Deinde in locis allegatis Synagoga non confertur cum Ecclesia Christi, sed cum alijs gentibus tunc temporis idola colentibus.

VII. Quando autem in Scriptura omnes subinde Prophetæ, simpliciter Idololatriæ & impietatis arguuntur, quasi nemo bonus ampliùs supereſſet, est *Exaggeratio*, vt notat S. Augustinus, Epist. 48. & lib. de vnit. Eccl. cap. 12. Habent nempe Scripturæ Canonicæ sæpè hunc morem arguendi; vt tanquam omnibus dicatur, quod ad quosdam tantùm pertinet. Cæterùm Ecclesiam occultam esse non posse, vide apud S. Augustinum, de vnit. Eccl. cap. 14.

IV. EFFUGIUM.

S. Hilarius latentem Ecclesiam agnouit.

Sub eo jam sæculo Hilarius contra Auxentium, latentem Ecclesiam potiùs credebat, quàm videbat, adeò Ariana hæresis inualuit. *Malè*, inquit, *vos parietum amor capit, malè Ecclesiam Dei in tectis ædificijsq; veneramini, malè sub his pacis nomen ingeritis, &c.*

S. Augustinus respondet pro Hilario.

Resp. 1. Hanc Hilarij authoritatem etiam olim Vincentius S. Augustino opposuit; sed Augustinus velut calumniam obtriuit in Epist. 48. ad Vincent. vbi respondit: Ecclesiam, licet subinde obscuretur nonnihil, &

fluctibus obruatur, *tamen adhuc in firmissimis suis eminere*; etsi autem respectu cæterorum Episcoporum, tunc fuerit exiguus numerus eorum, qui Arianismo resistebant, tamen fuerunt illi ipsi omnibus cogniti, & non in tenebris delitescentes; vti testatur locus in Italia dictus *Catholica* non procul Arimino, vbi Catholici Episcopi conuenerunt contra Ariminense conciliabulum: sed & paulò pòst Episcopi Catholici, qui erant de proprijs sedibus eiecti, teste S. Hieronymo aduersùs Luciferia, ad Ecclesias suas glorioſè reuersi sunt. Tunc enim Triumphatorem suum Athanasium Ægyptus excepit: Tunc Hilarium de prælio reuertentem Galliarum Ecclesia complexa est: Tunc ad reditum Eusebij lugubres vestes Italia mutauit. Deinde certum est, S. Hilarium non loqui de vniuersali Ecclesia, sed tantùm de Mediolanensi, vt optimè notat Reuerendissimus Episcop' Chrysopolitanus, Dr. Thomas Henrici in Anatomia erudita Confess. Aug. f. 229.

II. S. Hieronymus cùm dixit, *Ingemuit totus Orbis, & Arianum se esse miratus est*, neque de toto Orbe simpliciter loquitur, neque de Ariana hæresi propriè ac formaliter sumpta, quasi omnes, de quibus agit, verè & formaliter Ariani fuerint: sed de illis, qui ex toto Orbe ad Ariminense Concilium venerant, & ab Arianis decepti, per ignorantiam, vocem

Explicatur locus S. Hieronymi de Arianismo per totum Mundum dispersо.

cem ὁμοούσιος, tanquam nouam & ſcandalo-ſam tollendam eſſe decreuerant, vt ex textu S. Hieronymi oſtendit idem Dr. Thomas Henrici, loco cit.

III. Ariana hæreſis orientalem quidem, non tamen occidentalem Eccleſiam, niſi leuiter, infecit, teſte Athanaſio epiſt. ad Afros, apud Theodoretum. Hiſt. Eccl. lib. 2. c. 23. & lib. de Synodis aduerſùs Arianos. Nam occidentales Epiſcopi in Ariminenſi conuentu decepti, intellecto errore è veſtigio ſe correxerunt. Ineptiſſimè igitur ex hoc Arianiſmo probatur *inuiſibilitas* veræ Eccleſiæ vniuerſalis.

V. EFFVGIVM.

Soli Prædeſtinati conſtituunt Eccleſiam: ergo non eſt viſibilis.

I. Eccleſia ex ſolo prædeſtinatorum numero conſtituitur: ſoli autem Deo notus eſt numerus electorum in ſuperna felicitate locandus. Eccleſia igitur nobis abdita, inuiſibilis, & incognita eſt. Maiorem probat S. Aug. lib. 5. contra Donatiſtas. c. 17. ex eo quòd S. Petrus (1. Petri 3.) *Arcam* Noë Eccleſiæ typum dixit, in qua octo animæ ſaluæ factæ ſunt per aquam. Non ergo niſi ij, qui ſaluantur, intra *Arcam Eccleſiæ* eſſe exiſtimandi ſunt. Nam Chriſtus non eſt alterius Eccleſiæ Caput, niſi illius, cuius Saluator eſt, *et quam ſibi exhibet glorioſam*, Epheſ. 5. illi ergo, qui nec ſalui, nec glorioſi futuri

futuri ſunt in cælo, non ſunt eius Eccleſiæ membra, aut partes corporis, cuius Chriſtus caput eſt.

II. Ex filijs Dei Eccleſia conficitur; quæ non eſt aliorum, niſi quorum Deus eſt Pater. Hi autem ſunt verè filij Dei, qui reipſâ paternam hæreditatem ſunt percepturi. *Si filij & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti.* Rom. 8.

III. Eccleſia eſt corpus Chriſti; ſed Chriſtus eſt ipſa *vita*. Ioan. 11. 25. & cap. 14. 6. Ergo habere mortua membra non poteſt: nec poteſt eſſe Chriſti membrum, qui eſt membrum Diaboli, vt notat S. Auguſt. contra Creſcon. lib. 2. cap. 21. Ergo reprobi & iniuſti non ſunt membra Eccleſiæ, ſed ſoli electi.

IV. Apoſtolus 1. Petri 2. membra Chriſti in Eccleſia vocat *genus electum*: ſed reprobi non ſunt genus electum: Ergo non ſunt membra Chriſti in Eccleſia.

V. Eccleſia eſt *Sponſa* Chriſti, quæ diligitur à Chriſto. Quis autem dicat improbos, & reprobos eſſe Sponſam Chriſti, aut ab illo diligi? aut ſi non obſtantibus impijs & reprobis, Eccleſia poteſt dici *Sponſa* Chriſti, cur non eadem propter malos quoque poſſit dici meretrix, ſiue adultera Chriſti?

VI. Eccleſia eſt ouile Chriſti: ouile autem Chriſti non niſi ex Chriſti ouibus conſtituitur.

Bayerische Staatsbibliothek München

tur; At oues Christi illæ tantùm sunt, de quibus dixit: *Oues meæ vocem meam audiunt, & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & nemo rapiet eas de manu mea.* Ioan. 10. v. 20. Quomodo ergo in ea sunt improbi & reprobi, hoc est lupi & hirci, & quidem numero maiore, vt ipsa non etiam sit luporum & hircorum stabulum? quæ sunt absurda.

VII. Apostolus, 1. Ioan. 2. agit de quibusdam, qui ab Ecclesia *exijsse* videbantur, cum re verâ nunquam fuerint in Ecclesia. *Ex nobis*, ait, *prodierunt, sed non erant ex nobis. Quia si fuissent ex nobis, permansissent vtique nobiscum.* Non igitur in Ecclesia sunt, nisi qui in suscepta gratia perseuerant. In quo Augustinum Hieronymum sequitur contra Luciferianos.

VIII. S. Paulus ad Hæbreos. 12. Ecclesiam vocat *Ecclesiam primitiuorum, qui conscripti sunt in cælis*, quod non nisi de prædestinatis potest intelligi.

IX. Ioannis 11. dicitur, IESVS *moriturus erat pro gente, & non solùm pro gente, sed etiam vt filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum*; Hi soli erant prædestinati.

RESPONSIO.

Vt hæc res bene intelligatur, NOTETVR Eidem rei posse, diuerso respectu, dari diuersa nomina & prædicata. Sic de seipso Christus dixit, *Pater maior me est*, Ioan. 14. Me nempe

nempè ſecundùm humanam naturam: Et, *Ego & Pater vnum ſumus*; id eſt, VNVM, ſecundùm naturam diuinam; non tamen ſunt duo Chriſti, ſed vnicus tantùm. Ita Eccleſia in ſacra Scriptura habet varia nomina, iuxta varia ſua membra, & reſpectu diuerſo; vt optimè declarat S. Auguſt. Tom. 7. edit. Baſil. in Breuiculo Collationum cum Donatiſtis, coll. 3. n. 4. cùm enim Donatiſtæ Catholicis per calumniam impoſuiſſent, quòd duas Eccleſias aſſererent, vnam piorũ tantùm, alterã piorum & impiorum: negat hoc S. Auguſtinus, & ait, Catholicos tantùm diſcrimen facere inter partes vnius eiuſdémque Eccleſiæ, hoc eſt, inter probos & improbos: & inter Eccleſiam eandem reſpectu vnius, & reſpectu alterius temporis. In hac enim vita Eccleſiam eſſe mortalem, quæ in altera futura ſit immortalis: Sicut Chriſtus ante reſurrectionem mortalis fuit, pòſt immortalis.

Notãd. 1. eadem Eccleſia in Scriptura habet varia nomina, diuerſo reſpectu.

NOTETVR II. Ex Thoma VValdenſi, lib. 2. de doctrina fidei, cap. 28. membra myſtica corporis Chriſti, quædam eſſe Chriſto coniuncta, quædam coniunctiora, quædam coniunctiſſima. *Coniuncta* ſunt omnia, quæ Chriſtum induerunt per fidem, ac baptiſmum, tanquam per fidei Sacramentum, ad Gal. 3. v. 27. *Quicunque in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis*, id eſt Chriſti membra facti eſtis, vt S. Aug. in pſal. 85. & in pſal. 100.

Notãd. 2. varia eſſe genera membrorum Eccleſiæ.

cum S. Chriſoſt. l. 3. de ſacerdotio interpretatur. & hi verè & propriè ſunt in Eccleſia, ſed non *perfectiſſimè*.

Coniunctiora ſunt, quæ etiam per charitatem *Chriſto adhærent, & vnus cum eo Spiritus ſunt*.

Coniunctiſſima, quæ non ſolùm fide & charitate, ſed etiam ſpe non fruſtrabili, & finali perſeuerantiæ connexâ, Chriſto coniunguntur; quod eſt proprium prædeſtinatorum; & propter hæc tria diuerſa genera membrorum, Eccleſia eadem variè in Scriptura nuncupatur.

Propter 1. genus dicitur *domus magna*, in qua *ſunt vaſa in honorem & vaſa in contumeliam* 2. Timoth. 2. *ambulantes dignè Deo*. 1. Theſſ. 2. & alij *ambulantes inordinatè*. 2. Theſſal. 3. & *area continens triticum cum palea*. Matth. 3. *ſagena miſſa in mare congregans piſces bonos & malos*. Matth. 13. *Regnum cælorum, in quo Virgines fatuæ & prudentes*, Matth. 25.

Propter 2. genus dicitur *Sponſa* Chriſti, Epheſ. 5. *gens ſancta*. 1. Petri. 2. quæ illi conueniunt ob charitatem & internam ſanctitatem ac coniunctionem cum Chriſto.

Propter 3. genus dicitur, *Hortus conclu*ſus, *fons ſignatus*. Cant. 4. & *Vxor agni*. Apocal. 19. quæ ſolis perſeuerantibus electis conueniunt.

Notetur III. Alij ſunt in Eccleſia *nume*-

ve & *vocatione* tantùm; sic Iudas erat *vnus* ex Apostolis, *opere* autem Diabolus: alij sunt in Ecclesia *numero*, *vocatione* & *merito*, propter pietatem, cuius non tantùm habent speciem, sed & virtutem; & hi sunt iusti: Quâ virtute carent improbi. 2. Tim. 2. *formam pietatis habentes, virtutem eius abnegantes.* Alij sunt in Ecclesia *numero*, *vocatione*, *merito*, & *electione* efficaci propter perseuerantiam in bono, & ista tria genera membrorum tantùm verbis differunt ab ijs, de quibus *Notando 2.* non autem Re.

Notãd. 3. Varij sunt modi existendi in Ecclesia.

His prænotatis; *RESPONDEO* ad I. Negando maiorem; quòd enim non soli prædestinati, aut iustificati sint membra Ecclesiæ, sed etiam mali, euidens est ex illo Ioannis 15. v. 2. *omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum.* & v. 6. *Si quis in me non manserit, mittetur foras.* quibus verbis clarissimè significat Christus non solùm eos, *qui non manent in eo*, id est, qui non sunt *prædestinati*, sed & eos, *qui fructum non ferunt*, quales sunt improbi & mali Christiani, esse in ipso, hoc est, in corpore eius Mystico, ac visibili, quod est Ecclesia. Si enim non essent in illo, quomodo posset dici, quòd *in illo non ferant fructum?* aut *in eo non maneant?* potéstne dici de aliquo, quòd non *manserit* in ciuitate, aut in exercitu; aut quòd inde *foras sit eiectus*, qui nunquam in ciuitate, nunquam in exercitu fuit?

Resp. ad 1.

Probatur etiam malos posse esse membra Eccleſiæ.

fuit? Quid est, esse *palmitem vitis* (in illo loco Ioannis) quàm per fidem esse membrum, seu partem Corporis Christi in Ecclesia? atqui nonnulli palmites vitis possunt amputari à vite: Ergo & membra nonnulla, quæ non fuerunt ex prædestinatis, *aliàs mansissent in illa.*

Ex sancto Paulo, Rom. 11.

II. An non S. Paulus ad Rom. 11. v. 20. 21. expressè dicit: *Tu autem fide stæs; noli altum sapere, sed time. Si enim Naturalibus ramis non pepercit, ne fortè nec tibi parcat? Vide ergo bonitatem & seueritatem Dei: in eos quidem, qui ceciderunt seueritatem: in te autem bonitatem Dei, si permanseris in bonitate, alioquin & tu excidêris, &c.* Nonne hîc Apostolus in similitudine *Oliuæ* nobis ob oculos ponit, illos, qui reuerâ sunt inserti Ecclesiæ Christi per fidem, &c. posse exscindi & desinere membra esse? Ergo si exscindantur, non fuerunt prædestinati; & tamen membra, seu rami fuerunt. Quomodo torquent se hîc Caluinistæ? Dicunt, *Dei Spiritum ita corda fidelium obsignare, vt certò illis constet, non magis se posse, quàm Christum ipsum, Eradicari; tam enim certum esse palmitum, quàm vitis ipsius vitam.* Sed hoc manifestè Christus arguit falsitatis; quia multi non manent in vite, qui fuerunt in vite. Ergo falsa est illa certitudo de perseuerantia, quam Caluinistæ sibi imaginantur. Vide Maldonatum & Adamum Conzen in hunc locum.

III. De-

111. Denique, Apocal. 3. dicitur v. 16. *Vtinam frigidus esses, aut calidus, sed quia tepidus es, & nec frigidus nec calidus, incipiam te euomere ex ore meo.* Potuitne *euomere* ex ore suo, quod prius neque in stomacho habuit, neque in ore? Nullo modo. Sic res habet in proposito. *Ex Apocalypsi.*

AD PROBATIONEM Maioris ex S. Aug. dico, *Arcam* Noë in eo typum Ecclesiæ fuisse, quòd extra eam nullus euaserit, & seruatus sit. non in eo, quòd omnes intra illam facti sint salui: Alioqui sicut ibi munda & immunda animalia sunt saluata, ita etiam in Ecclesia, probi & improbi saluari deberent, quod absurdum. *S. Augustinus quomodo intelligendus.*

Quòd autem Christus non sit alterius Ecclesiæ *Caput*, quàm cuius est Saluator, est in quæstione. Dicitur enim etiam Caput seu Rex Angelorum. Ergóne etiam est illorum propriè Saluator? certè Paulus dicit, Hebr. 6. v. 16. *Nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit*; quasi diceret, Angelos non saluauit, quia Angelos Christus nec per Euangelium vocauit; nec illis remissionem peccatorum obtulit.

Deinde, distinguo consequentiam. Christus est Ecclesiæ Saluator: ergo omnes qui in Ecclesia sunt, saluat & glorioſos reddit: quo ad *sufficientiam*, concedo, quo ad *efficientiam*, nego. Omnibus promeruit media sufficientia ad salutem & gloriam: si quis ea actu

& re ipsâ sibi non applicet, sibi tribuat culpam.

Duplex acceptio filiorum Dei.

Ad II. Filij Dei dicuntur, vel secundùm *præscientiam* Dei ac *prædestinationem*, vel secundùm *præsentem iustitiam*, vel secundùm *doctrinam* respectu eius, à quo habent doctrinam; sic 1. Corinth 4. Paulus vocat Corinthios, *filios*; quia eos Euangelium docuit. Et ad Gal. 5. *Filioli mei*. Ex his omnibus conficitur Ecclesia, non autem ex solis prædestinatis. Qui perseuerant in iustitia, re ipsa consequũtur hæreditatem & gloriam, ad quam habent eatenùs jus: qui non perseuerant, amittunt jus ad hæreditatem, quod habuerunt, dum iusti erant; non tamen sequitur, non fuisse filios. Quia etiam aliquando apud homines exhæredantur, qui fuerunt veri filij, sed ex bonis facti mali.

Quomodo Ecclesia sit corpus Christi.

Ad III. Ecclesia est Corpus Christi, distinguo. *Naturale*, nego, *Mysticum*, concedo. Ergo mortua membra habere non potest; distinguo; in corpore *naturali*, concedo; in *mystico*, nego. Deinde distinguo etiam mortua membra: alia sunt, quæ prorsùs omni vitâ spirituali carent; & talia in corpore Christi mystico actu esse non possunt; alia vno quidem modo sunt mortua, alio tamen viuunt, iuxta primum genus membrorum in *Notando*. 2. explicatum. Et hi sunt improbi Christiani, carentes illo gradu vitæ, qui est

ex

ex charitate; & eatenùs sunt membra mortua; non tamen carent illo gradu vitæ, qui est ex fide: & hi ratione absentis charitatis sunt membra Diaboli: ratione *præsentis fidei* sunt membra Christi, quamuis imperfectissima: Hoc autem minimè est absurdum; vt patet exemplo Iudæ, qui ab ipso Christo dictus est *vnus ex duodecim* Apostolis, & tamen simul *Diabolus*: diuerso scil. respectu. Ioan. 6. Apostolus *vocatione*; Diabolus *opere*, saltem circa finem.

Quomodo Iudas fuerit membrũ Ecclesiæ.

DICES, *fides sine operibus mortua est*. Iacobi 2. Ergo nullum omninò vitæ gradum habent improbi, licet credant: Resp. Est mortua, quo ad meritum, concedo: quo ad se, & in genere cognitionis, nego.

Ad III. Resp. Est fallacia *æquiuocationis*, & *Accidentis*. Ecclesia est corpus Christi *mysticum*, concedo: *naturale* nego. Sed Christus est *Vita*; Rectè; aliter tamen quo ad se, suámque personam: aliter respectu Ecclesiæ, cui promeruit vitam, tùm gratiæ in terris, tùm gloriæ in cælo, &c. Ergo Ecclesia non potest habere membra mortua. Negatur consequentia. Aut distinguitur, vt prius: non potest habere quæ omni gradu vitæ careant, concedo: quæ tantùm aliquo careant, nego.

Ad IV. Concedo, *Reprobos* non esse *genus electum*, in stricta significatione; in qua accipitur

Electi aliquando strictè, *aliquando* latè *accipiuntur.*

pitur Matth. 22. 14. *Multi sunt vocati, pauci verò electi.* In ampliore verò significatu, pro quibuslibet vocatis ad gratiam, siue sint iusti, siue Iniusti, siue prædestinati, siue reprobi, sic nego, illos non esse *genus electum.* Ita Ioan. 6. v. 17. ait Christus, *nonne ego vos duodecim elegi, & vnus ex vobis Diabolus est?* Si Christus Iudam *elegit*: an non ille *electus* fuit? & tamen simul etiam reprobus fuit. Et 1. Petri. 1. v. 1. dicitur, *Electis aduenis dispersionis, Ponti, &c.* Et tamen S. Petrus illam epistolam non solis prædestinatis scripsit, vt ipsemet Caluinus testis est, in cit. locum S. Petri. Ergo ibi non solos prædestinatos intelligit per *electos.* Ergo vocabulum *Electus* aliquando etiam ampliorem habet significatum.

Ad V. *Ecclesia est Sponsa Christi*: distinguo, quà sancta est, quà pudica, hoc est, in membris 2. & 3. gen. Et sic vtique *diligit* illam. Dices; Quomodo potest diligere reprobos? Resp. *temporaliter*, concedo: *finaliter* nego. Cùm enim reprobi per aliquod tempus possint esse iusti, & membra secundi generis, quamdiu tales sunt, *diliguntur* à Deo, quia sunt in gratia: postquam verò suâ culpâ gratiâ Dei excidunt, & manent vsque ad finem in *impœnitentia*, tunc non diliguntur; quia odio habet Deus peccata.

Ad illud de meretrice respondeo, non sequitur posse Ecclesiam dici *Meretricem*, sicuti

dicitur

dicitur *Sponsa*. Quia denominatio fit à potiori, præsertim in corpore *mystico* & morali: potiora autẽ & principaliora membra Ecclesiæ sunt secundi, & tertij generis mẽbra, quàm primi: sicuti ergo homo simpliciter dicitur *intellectivus*, licet pedes & manus, & plura alia membra non intelligant, ita & Ecclesia dicitur simpliciter *Sponsa Christi*, & *diligi* à Deo, licet aliqua eius membra hoc prædicato non gaudeant. Non tamen hinc simpliciter consequens est: Ergo Ecclesia non est *Sponsa* Christi aut Ecclesia est meretrix. Absit. *Refellitur obiectio de meretrice.*

Ad VI. Concedo, Ecclesiam esse *ouile* Christi: in quo sunt *oues* triplicis generis, iuxta tria genera membrorum, in *Notando* 2. assignatorum. Christus autem Ioannis 10. secundùm S. August. non de omnibus ouibus sui ouilis est locutus, quando dixit, *non peribunt in æternum, &c.* sed tantùm de ouibus tertij generis; secundùm alios verò apud Maldonatum hoc loco, v. 3. de omnibus quidem ouibus loquitur, & dicere vult, quantum in se est, & ex ipsa natura doni, non quantum in ipsis, nullam esse perituram: quia ipsis sufficienter omnibus prouidit, ne vlla earum æternùm periret pastoris culpâ: sed si quæ pereunt, suâ culpâ pereunt. Non igitur soli prædestinati, sed & alij sunt *Oues Christi*, adeoque *ouile* Christi non ex solis prædestinatis constituitur: Siquidem multi *prædestinati* *An Ecclesia possit dici stabulum*

luporum & hircorum, sicut dicitur Ouile.

destinati, Christi vocem diu non audiunt, & longo tempore sunt lupi, vt Saulus fuit: multi etiam reprobi diu audiunt, & sequuntur. Si Christus aliquos, qui nondum erant oues, sed futuri erant, oues vocat, id facit per *anticipationem*, aut vocat oues potentiâ, non actu. Porrò etsi darem, (quod non facio) in Scriptura malos nunquam vocari *oues*, non tamen sequeretur Ecclesiam posse æquè hircorum & luporum stabulum propter malos, atq; *Ouium*, propter bonos, vocari: quia denominatio fit à principali, & ab eo, quod est proprium ac per se *Ouilis* Christi; cuiusmodi sunt oues, non hirci. In Scriptura verò etiam malos vocari Oues, clarum est ex psal. 73. 2. vbi dicitur, *iratus est furor tuus super oues pascuæ tuæ*; vbi de populo in cõmuni est sermo, in quo plures erant mali & reprobi. & Ioan. 21. v. 17. dicitur Petro, *pasce oues meas*, quibus verbis Christus non tantùm intellexit *prædestinatos*; alioqui mali putarernt, se exceptos à potestate Petri, quod falsum. Licet ergo propter defectum charitatis possint mali appellari hirci, vel potiùs *Oues* morbidæ, Ezechiel. 34. v. 14. possunt tamen etiam appellari *Oues* propter fidem præsentem. Lupi verò sunt Hæretici, qui non sunt in *ouili*.

Declaratur sententia Io-

Ad VII. dicitur. Etiamsi per illa Verba *ex nobis*, S. Ioannes tantùm prædestinatos intelligeret, plus tamen non diceret; quàm *non erant*

erant ex nobis, id est, ex illis *Apostolis*, quos Deus confirmauit gratiâ Spiritus sancti, vel non erant ex prædestinatis. hinc autem non sequitur: Ergo omnino non fuerunt de Ecclesia. Quia nusquam dixit, Ecclesiam constare tantùm prædestinatis. Potest etiam S. Ioannes sic intelligi: *Exierunt ex nobis*, cum quibus erant per externam solùm conuersationem & simulationem, adeóque *apparenter*: sed *non erant ex nobis*, animo & verè per internam fidem.

annis, nō erant ex nobis.

Ad VIII. Resp. S. Paulus ad Hebr. 12. per *primitiuos*, seu *primogenitos*, non intelligit quælibet membra Ecclesiæ, sed peculialiter *Proceres*, & velut *primos* Christi filios, & patriarchas Ecclesiæ, nempe *Apostolos*, quorum nomina haud dubiè sunt descripta in cælis, & ab his tanquam *propagatoribus* potest tota Ecclesia dici *primogenitorum*, vel *primitiuorú*; cum Apostoli fuerint *primogeniti* Christi. Ita ipse Caluinus in cap. 12. ad Hebr. Quis autem hinc (nisi ineptè) concludat; Ergo omnes in Ecclesia sunt prædestinati? Sed, hanc consequentiam concedo; Ergo omnes sunt in Ecclesia, quæ est plantata à prædestinatis, seu *primogenitis*; adde, quòd si textus bene inspiciatur, planè S. Petrus non de militante, sed de triumphante Ecclesia in cælis loquatur, teste Cornelio à Lapide. Ideo est extra rem.

Quid intelligat S. Paulus, Hebr. 12. per primitiuos seu primogenitos.

Ad IX. Ne-

Ad IX. Negatur, solos prædestinatos congregatos à Christo in vnum, & filios Dei esse, vt ex dictis patet.

EFFUGIUM. VI.

Vera Christi Ecclesia debet esse immaculata. talis non datur visibilis.

VEram Christi Ecclesiam oportet esse perfectam ac immaculatam. *Tota enim pulchra est, & macula non est in ea. Vna est columba mea, perfecta mea.* Cant. 4. & 6. Et Apostolus ait, eam esse *sine macula & ruga*, Ephes. 5. Et Isaias, cap. 52. ait, *non adiciet*, inquit, *vt pertranseat per te incircumcisus & immundus.* Et cap. 35. Ecclesiam vocat *viam sanctam, per quam non sit transiturus pollutus.* Et 1. Corinth. 10. omnes in Ecclesia dicuntur *vnus panis*, panis autem non fit ex paleis & frumento simul, sed ex frumento tantùm. Ergo Ecclesia constat ex solis prædestinatis. Quis autem vnquam vidit talem Ecclesiam, sine macula? sine ruga? in qua non sit immundus, &c.? Ergo vera Ecclesia est inuisibilis.

RESPONSIO.

In Scriptura subinde tribuitur toti, quod tantùm conuenit parti.

Dico I. In Scriptura non insuetum esse, vt tribuatur per figuram toti, quod tantùm conuenit parti, tam in bono, quàm malo. Sic ad Philipp. 2. dicuntur, *omnes quærere, quæ sua sunt*, & tamen multi Sanctorum, præsertim Beatissima Virg. non quæsiuit, quæ sua sunt: sicuti nec ipse S. Paulus: & Matth. 27. v. 44. dicuntur in Cruce *latrones* Christo blasphe-

blaſphemè improperâſſe, &c. cùm tamen non niſi *vnus* eorum id fecerit, Luc. 23. v. 40.

II. Ille locus Canticorum non neceſſariò de Eccleſia accipitur; Bellarminus interpretatur eũ de anima perfecta, vel de Beatiſſima Virg. modò per pulchritudinem & munditiem, reſpectu animæ, per fidem intelligatur puritas à maculis peccatorum mortalium, vel grauiorum venialium. *Explicatur locus Canticorum, tota pulchra es, &c.*

III. Ait S. Aug. lib. 2. Retract. cap. 8. Eccleſiam dici talem, non quia in hac vita talis ſit, ſed quia talis futura ſit in altera. Quæ etiam poteſt eſſe reſponſio ad illud de *macula & ruga*: ad Epheſ. 5.

IV. Ad 1. locum Iſaiæ dico, ſenſum litteralem eſſe hunc: cùm à captiuitate Babylonica redieris, non in longum tempus aliquis infidelium perſecutor, terras tuas vaſtando pertranſibit: per illa autem verba, *Recedite, &c.* litteraliter excitari Iudæos ab Iſaia, vt exeant, finito tempore captiuitatis, quàm primùm de Babylone; myſticũ verò ſenſum eſſe, Eccleſiam non deuaſtandam, ſeu euertendam eſſe ab infernalibus hoſtibus: & per verba *Recedite, &c.* excitari populum Chriſtianum, vt accepto Baptiſmo ſeparet ſe ab infidelium cætibus, ſacrificijs, coniugijs, &c. iuxta illud Pauli. 2. Cor. 6. *Nolite iugum ducere cum infidelibus: quæ pars fideli cum infideli?*

Ad 2. locum Iſaiæ *Reſp.* Eccleſiam dici *ſanctam,*

ctam, ob doctrinam ſanctam, quæ vtique eſt via, per quam ambulandum eſt ijs, qui ſaluari cupiunt; & per hanc viam non tranſibit immundus. Nunquam enim doctrina Eccleſiæ veræ corrumpetur: *contra quam nec inferorum portæ prævalebunt.*

V. Ab Apoſtolo dicuntur fideles *vnus panis*, non ob illam cauſam, quæ allata eſt: ſed quòd de *vno pane* participamus; vt patet ex ipſo textu: *vnus panis & vnum corpus ſumus, qui de vno pane participamus:* loquitur de pane Euchariſtico, de quo & impij participant. 1. Corinth. 11. v. 27. licet *indignè* & *infructuoſè*. Deinde Eccleſia dicitur etiam *vnus panis*, quòd, ſicut ex multis granis per aquam fit vnus panis, ita ex multis hominibus per aquam Baptiſmi & Spiritum ſanctum fit vnus populus Dei.

EFFUGIUM. VII.

I. CHriſtus, Luc. 17. v. 20. ait. *Non venit regnum Dei cum obſeruatione, neque dicent, ecce hic, aut ecce illic. Ecce enim regnum Dei intra vos eſt.*

Regnum Dei non venit cum obſeruatione: Ergo Eccleſia non eſt viſibilis.

II. Lucæ 18. Filius hominis veniens, putas inueniet fidem in terra? Si inueniri fides non poteſt, certè non erit Eccleſia viſibilis.

III. Regnum cælorum (ſeu Eccleſia) ſimile eſt thesauro abſcondito, Matth. 13. Ergo Eccleſia eſt occulta & inuiſibilis.

IV. Tem-

IV. Tempore Passionis Christi, latentibus discipulis per triduum tota Ecclesia occultata fuit, ergo potest latere.

RESP. Ad 1. cùm S. August. lib. 13. contra Faustum cap. 13. & lib. 1. Quæst. Euang. q. 38. & S. Hieron. in c. 24. Matth. (si Christus de Ecclesia locutus est) Christum voluisse dicere, suam Ecclesiam non esse in aliquo angulo Orbis tantùm, vt possit de illa dici; Ecce hîc est in Hollandia, Anglia, Scotia, & Dania tantùm: sed vt possit de illa dici, est in toto terrarum Orbe disseminata, quod de nulla Christiana Congregatione, nisi de Catholica verum est. Quare ista sententia contra Protestantes, & pro nobis est.

Quid intelligatur per regnũ Dei.

Deinde Christus non agit hîc de Ecclesia, sed de regno Dei, quod per Messiam, se quasi politicè obtenturos sibi imaginabantur Iudæi. Itaque per regnum Dei intelligitur vel Messias, vel aduentus eius, &c. vti bene explicat Suarez contra Regem Angliæ. fol. 47. Ideò respondet eis Dominus: *Non venit regum Dei cum obseruatione*: vbi non loquitur de inuisibilitate Ecclesiæ, sed excludit tantùm expectationem *Messiæ* per modum temporalis regni, qui expectari solet cum certa temporis obseruatione ac pompa regali, &c. Et propterea addit: *Ecce regnum Dei intra vos est*; quasi dicat: Ecce! Ego sum Messias vester, quem coràm cernitis oculis, sed sine tali *obser-*

Suarez hunc locum optimè explicat.

uatione, id est, sine regio apparatu, sine splendore externo ; Ego sum, quem tantopere expectatis.

Ad II. Resp. Christum plus non dicere, quàm tunc, id est, circa finem Mundi paucos fore, qui credant corde, & ore confiteantur ad salutem : quod tamen non est absolutè, sed cum respectu, ad maximam multitudinem infidelium, accipiendum ; quo posito, nihilominus manet Ecclesia *Visibilis* ; & illi ipsi pauci erunt palàm cogniti, & videbuntur, sicut si quis exiguum pagum comparet cum maxima, & populosissima ciuitate : vtique pauci sunt in pago respectu tantæ ciuitatis : attamen tam parùm absolutè pagus potest dici inuisibilis, quàm ciuitas.

Ad III. Resp. Ecclesiam comparari thesauro abscondito, non quoad *locale* esse suum, quasi nesciatur, vbi sit, sed quoad *pretium* & valorem : quia pauci æstimant fidei & gratiæ pretium, sicuti deberent.

Ad IV. Nego *antecedens*. Quia Beata V. S. Ioannes, Mulieres piæ, & alij, Christo etiam in Cruce adstiterunt, & vsque ad sepulchrũ eidem adhæserunt ; Licet autem Apostoli tunc delitescerent & tacerent, tamen fidem retinuerunt, vt docet Serarius disp. de Apostolis, Thesi. 24. Deinde discipuli erãt cogniti, & sibi, & Iudæis, de quibus ipsi hostes Christi, Matth. 27. v. 64. dixerunt, *ne fortè*

veniant

veniant discipuli eius & furentur eum: Nam ad visibilem Ecclesiam non requiritur, vt singulis momentis edant professionem fidei, sed sufficit, si ex præterita confessione maneat publica opinio, & notitia retentæ fidei (vt hodie fit in Iaponia) & licet Petrus negauerit, se Christi discipulum, non tamen negauit alios esse discipulos, multò minùs id alij de se negârunt.

EFFUGIUM VIII.

FIdes vera interna est forma & de essentia Ecclesiæ, quâ formaliter ipla constituitur, & nos Ecclesiæ membra efficimur, sed fides hæc est inuisibilis: Ergo & Ecclesia est inuisibilis.

RESPONSIO.

Dico. I. Esse similem huic syllogismum, Anima hominis est forma hominis, quâ homo formaliter constituitur : sed anima hominis est inuisibilis: Ergo & homo est inuisibilis. Negatur consequentia, quia sunt quatuor termini, cùm sit terminus in consequente, qui non fuit in antecedente v. g. in priore syllogismo est. 1. fides, 2. forma, 3. Ecclesia in obliquo in antecedente. & 4. in consequente Ecclesia in recto.

Dico. II. Concedo maiorem, nempe, fidem internam esse de essentia Ecclesiæ: tùm

quia Ecclesia definitur *Congregatio fidelium* ab Innocent. 3. cap. 1. de summa Trinit. & Nicolao dist. 1. cap. 8. de consecrat. absolutè autem fideles dici non possunt, qui tantùm simulati sunt, sicut nec homo est simpliciter, qui tantùm est fictus aut pictus homo: Tùm quia nemo ingreditur Ecclesiam, nisi à Spiritu sancto vocatus: sed hypocrita exteriùs simulans fidem, non à Spiritu S. sed à Diabolo vocatur: Tùm quia Ecclesia est corpus mysticum & spirituale: Ergo requirit etiam vinculum spirituale, quod consistit in interna fide.

Non nego hanc fidem internam, quæ in se est inuisibilis, posse cognosci in suo effectu; hoc est, in signis externis, quæ sunt fidei professio, Sacramenta, Sacrificia, cultus diuinus exterior, conciones, processiones & alia religionis veræ exercitia, cum plurimis alijs Notis Ecclesiæ, quæ faciunt fidem internam satis visibilem, sicut actiones externæ vitales ostendunt hominem habere animam, licet anima in se non videatur, vt optimè declarat Suarez contra Regem Angliæ, c. 8. n. 8. vbi ait, Corpus potest dici visibile animali modo, id est, merè sensitiuo & in se, anima verò rationali modo, ipsius operationibus, si nempè adminiculo rationis, adiungas discursum sensui: sicut Paulus ad Rom. 1. inuisibilia Dei à creatura Mundi, per ea quæ facta

sunt,

sunt, intellecta conspiciuntur: Vel sicut Christus interrogatus à Ioanne per discipulos, &c. *Tu es, qui venturas es, &c.* respondit, item, *renunciate Ioanni, quæ audistis & vidistis; cæci vident, &c.* ac si diceret, in signis, quæ videtis à me fieri, videre potestis me esse Messiam. Quàmuis autem eiusmodi actus externi fidei possint subinde esse simulati, & fallere in hoc vel illo particulari homine, vt existimari possit esse Catholicus, qui non est: impossibile tamen moraliter est, vt sint simulati & fallant in toto corpore, quin aliqui sint, qui verè & sincerè credant: impossibile etiam est, vt fallant omnes & singuli, tam longâ, támque continuâ successione temporis & hominum.

Obiectes I. Sequeretur Papam, aut Episcopum clàm hæreticum non esse *Caput* Ecclesiæ; quia Caput esse non potest, qui non est membrum, alioqui perpetuò dubitaret Ecclesia de suo Capite; non enim esset certa, illud esse membrum, cùm fidem internam illius nemo cognoscat.

II. Si fides interna esset de essentia Ecclesiæ, & membri Ecclesiæ, tunc occulti hæretici non essent in Ecclesia: quia fide internâ carent: consequens est falsum, quia si non essent in Ecclesia, tunc Ecclesia nullam haberet Iurisdictionem in occultos hæreticos, iuxta Apostolum, *quid mihi de ijs, qui foris sunt, iudi-*

iudicare? 1. Cor. 5. v. 12. atqui hoc dici non potest: quia Ecclesia in omnes habet Iurisdictionem, qui sunt baptizati: sed isti sunt baptizati. Ergo. omnes enim baptizati, sunt subiecti Ecclesiæ.

III. Vasa fictilia sunt in Ecclesia. 2. ad Timoth. 2. vt & Zizania. Matth. 13. sed hæc sunt hæretici personati, qui sub externa professione Catholica latent, teste S. Aug. lib. 4. de Baptismo, cap. 12.

IV. Iudas fuit in Ecclesia: sed Iudas fuit infidelis. Ioan. 6. v. 65. *sciebat ab initio IESVS, qui essent non credentes, & quis traditurus esset eum.*

V. Christus vtique fuit in Ecclesia tanquam Caput eius: sed Christus non habuit fidem; quia habuit claram visionem Dei: Ergo aliquis non habens fidem fuit in Ecclesia.

RESPONSIO.

In corpore morali potest esse Caput, quod non est membrum.

Ad I. Nego sequelam. Quamuis enim in corpore *Naturali* non possit esse Caput, quòd non est membrum: in corpore tamen *Morali* potest; quia ibi aliter se res habet: vt in simili aduertit S. Thomas. 3. p. q. 8. a. 1. ad 2. & constat exemplis. Nullum membrum potest esse simul membrum plurium corporum naturalium; in corpore morali autem potest idem homo esse membrum, seu pars huius reipub, & illius: ciuilis & Ecclesiasticæ,

& idem ciuis plurium vrbium ciuis: vt Norinbergæ & Augustæ: & idem Canonicus plurium Capitulorum v. g. Eichstadij & Herbipoli. Deinde *vnum* corpus *naturale* postulat habere omnia sua membra coniuncta: *Vnum morale* potest etiam habere longè dissita. Item corpus Naturale non potest habere plura capita, Morale potest: sicut Neapolitanum regnum habet Regem & Proregem: & caput Mulieris est Vir & Christus, Ephes. 5. Leo quasi dicitur caput bestiarum, & tamen non dicitur membrum bestiarum. Quæ optimè obseruauit P. *Simon Felix* in materia de fide.

DICES. Si potest esse caput Ecclesiæ, qui non est membrum illius, sequitur, quòd alicui possit conuenire nomen speciei. v. g. capitis: cui non conuenit nomen generis, nempe membri, quod absurdum. *Obiectio.*

Resp. Nego, esse absurdum in moralibus & allegoricis: sic & Christus *metaphoricè* vocatur Leo, Vitis, Petra, quæ sunt nomina specifica, & tamen nec est bestia, nec planta, nec lapis, &c. sic dicuntur eiusmodi Episcopi, qui sunt occulti hæretici, capita Ecclesiæ propter Eminentiam dignitatis, potestatis, & iurisdictionis, quam habent, non autem sunt membra Ecclesiæ, propter defectum fidei, quam per occultam hæresim amiserunt. *Resp.*

Ad II. Dico, hæreticos occultos non esse

Hæretici occulti non sunt in Ecclesia.

in Ecclesia; & negatur, id esse falsum. Iurisdictionem enim nihilominus in illos Ecclesia retinet, quam accepit, quando fuerunt baptizati: quia omnis, qui baptismum petit, hoc ipso implicitè se subijcit Ecclesiæ; & licet postea profugus fiat, non amittit Ecclesia in eum iurisdictionem; sicut nec Dux exercitûs in profugum militem. Apostolus autem loquitur tantùm de iudicio *Excommunicationis*, quando negat suum esse *iudicare* de ijs, qui foris *sunt*.

Quid per vasa fictilia & Zizania intelligatur.

Ad III. Dico per vasa fictilia & Zizania non intelligi hæreticos personatos, aut fictos fideles, sed malè moratos, aut non prædestinatos: ideò dicta expositio S. Aug. non est litteralis: qui alibi satis declarat, quomodo occultos hæreticos in Ecclesia ponat; nempe *apparenter* duntaxat, non verè ac realiter. Sic enim de illis loquitur Tract. 61. in Ioan. *intùs specie, non virtute, commixtione corporali, non vinculo spirituali, carnis coniunctione, non cordis vnitate.*

Iterum de Iuda, quem initio bonum fuisse Patres testantur.

Ad IV. Iudas quamdiu fuit in Ecclesia, fuit fidelis. Quando enim à Christo in Apostolum electus fuit, bonus fuit, vti docet Serarius in disp. de S. Paulo & Iuda Iscariota, Thesi. 2. & ait hoc esse plerorumque Patrum. Vnde quæ Apostolis communia erant, Iudas quoque peregit, dæmones eiecit, ægros sanauit, &c. quando autem desijt credere, desijt in

Eccle-

Ecclesia esse. S. Paulus verò ad Ephes. 2. loquitur tantùm de Apostolis perseverantibus: oportet enim fundamentum Ecclesiæ esse firmum ac stabile, qualis non erat Iudas. Ergo *non* fuit fundamentum.

Ad V. Resp. Christum fuisse Caput Ecclesiæ, propter dignitatem & influxum; non autem membrum; propter carentiam fidei, quæ cum clara visione non stat:

Ex his euidens est, Fidem internam veram, esse de essentia Ecclesiæ, & veri Christi membri. Nec refert, quòd aliqui dicunt; characterem in baptizatis sufficere ad hoc, vt homines constituantur in Ecclesia: quia sic etiam damnati in inferno censerentur adhuc membra Ecclesiæ, cùm retineant baptismalem characterem, qui est indelebilis, quod nemo dixerit.

Fides interna vera, est de essentia Ecclesiæ, & membri Ecclesiæ.

EFFVGIVM IX.

DOcemus (inquit *Meyffartus* in *Antibecano*, tomo 1. de Ecclesia, fol. 287. 288.) Ecclesiam ratione vocatorum, externæ societatis, externorum mediorum, ac Symbolorum sacramentalium, omninò visibilem esse; sed non esse visibilem ratione electorum & internæ Societatis per fidem. Nec Ecclesiam ratione electorum simpliciter inuisibilem esse docemus, sed secundùm quid. Electi enim quà homines sunt, visibiles

Meyffartus ait Ecclesiam ratione vocatorum esse visibilem, ratione Electorum inuisibilem.

les ſunt; & in oculos currunt; quà verò electi, minimè. Hoc eſt, docemus vnam & eandem Eccleſiam viſibilem eſſe inuiſibilem: ratione vocationis externæ & prædicationis Verbi diuini, eſt aſpectabilis cætus: ratione verò electionis ſeu fidei ſaluificæ, quæ ſola eſt forma eſſentialis Eccleſiæ veræ, ac propriè ſic dictæ, eſt inuiſibilis.

Conſentire videtur Guil. Ameſius.

Huic conſentire videtur, *Guil. Ameſius*, Tomo 2. Bellar. Eneruati, de Eccleſia, c. 2. vbi ait; *nos fatemur Eccleſiam militantem, quamuis quo ad eſſentialem ſuam formam, & tota ſimul ſit inuiſibilis, viſibilem tamen eſſe quo ad formam accidentalem & externam in ſuis partibus, & ſigillatim, & coniunctim in cœtibus Eccleſiaſticis à Chriſto inſtitutis.*

Idem, ferè Andr. Riuetus in ſumma Controu. Tomo 2. q. 1. n. 3. dicens, *formam Eccleſiæ aliam eſſe exteriorem, aliam interiorem & eſſentialem, &c. Secundùm hanc eſſe inuiſibilem; ſecundùm illam eſſe viſibilem.*

RESPONSIO.

Retorſio argumenti in auctorem.

I. Si *ſola electio & fides ſaluifica eſt forma eſſentialis Eccleſiæ veræ ac propriè ſic dictæ, & ob eam rationem Eccleſia eſt inuiſibilis*, tunc falſum eſt, quod Meyffartus dicit, & cum eo multi alij Proteſtantes, *viſibilem & inuiſibilem* Eccleſiam *eſſe vnam eandémq; & non eſſe duas ſpecie diſtinctas Eccleſias.* Quia inuiſibilis, ſecundùm hos authores, habet ſpecie diſtinctam *formam eſſentia-*

essentialem à Visibili. Forma enim essentialis, secundùm Meyffartum, Ecclesiæ inuisibilis, est *sola electio seu fides saluifica*; Hæc autem non est *forma essentialis* Ecclesiæ visibilis *Vocatorum*; alioqui conueniret omnibus illius membris, sicuti essentia hominis conuenit omnibus hominibus, sed consequens est falsum: *multi enim sunt in Ecclesia vocati, pauci verò electi.*

II. Si Ecclesia *electorum* (provt est inuisibilis, & constat ex solis electis, adeóque quà distinguitur ab Ecclesia visibili *vocatorum*) est vera & propriè dicta Christi Ecclesia, sequitur Ecclesiam *vocatorum* visibilem, non esse veram & propriè dictam Christi Ecclesiam: Consequens autem est falsum, secundùm Meyffartum; qui dicit, Ecclesiam *Electorum*, & Ecclesiam *Vocatorum* esse vnam eandémque Ecclesiam: quomodo verò vna eadémque esse potest, si Ecclesia Electorum est vera propriéque dicta Ecclesia, non item Ecclesia Vocatorum? si Ecclesia Electorum habet distinctam rationem formalem ab Ecclesia *Vocatorum*? Certè non dantur duæ, *diuersæ speciei* veræ, & propriè dictæ Christi Ecclesiæ; cùm nõ sit nisi *vnica*, vt constat ex Scriptura, ex Symbolis, teste ipso Meyffar. f. 287. & ex Theoremate 2. Ergo iterũ secum pugnat.

III. Si *Essentiales* Notæ Ecclesiæ sunt *pura Verbi prædicatio*, & *vera Sacramentorum administratio*,

niſtratio, vt communiter omnes Proteſtantes docent, tunc falſum eſt, *exteriorem formam* Eccleſiæ, per quam illa viſibilis eſt, eſſe tancùm *accidentalem*: probatur ſequela. Quia *pura Verbi prædicatio, & recta Sacramentorum adminiſtratio* eſt aliquid viſibile, & externum, & non poteſt ſolâ mente, inuiſibiliter peragi: quis vnquam audiuit verbum Dei prædicari ſine prædicante? Sacramenta dari vel accipi, niſi viſibiliter inter homines? Ergo iſta non ſunt aliquid merè *accidentarium* in Eccleſia, ſi ſunt *eſſentiales* Notæ Eccleſiæ, quod Amesio & Riueto repugnat.

EFFUGIUM X.

Meyffartus, ſit ne viſibilitas de ratione formali Eccleſiæ, an non?

Pontificij Eccleſiam veram ita viſibilem eſſe volunt, vt viſibilitas illa ſit de ratione formali veræ Eccleſiæ: hoc autem Lutherani præciſè negant, cùm nec Scriptura, nec Logica id permittat. Si autem viſibilitas eſſet de ratione formali veræ Eccleſiæ, ſequeretur veram Chriſti Eccleſiam, quatenus viſibilis eſt, non errare. Ita Mayffartus fol. 288. Idem: *Viſibilitas eſt adiunctum Eccleſiæ* (inquit fol. 291.) *non perpetuum, ſed temporarium*:

RESPONSIO.

Notas Eccleſiæ eſſentiales

Resp. I. Iterum oppono Proteſtantibus doctrinam Proteſtantium, qui paſſim dicunt: *Notas eſſentiales* Eccleſiæ eſſe *puram Verbi prædicatio-*

dicationem, & legitimam Sacramentorum administrationem. Ergo visibilitas est de essentia Ecclesiæ, adeóque de ratione formali; Ergo est inseparabilis ab Ecclesia; Ergo non est tantùm *Temporarium adiunctum illius*, vt ait Meyffartus.

esse puram prædicationem Verbi, & rectam Sacramentorum administrationem Protestantes docent.

Antecedens probatur luculenter testimonijs ipsorum Protestantium, ac primò Lutheranorum.

Brochmandus contra speculum Veritatis Brandeb. fol. 395. 392. vocat has notas wesentliche Zeichen; *essentiales, quibus ab alijs* omnibus Ecclesijs certò distinguitur vera Ecclesia. Loquitur autem necessariò de externa prædicatione Verbi, & administratione Sacramentorum: neutrum enim horum potest tantùm internè in corde fieri: neque etiam vna Ecclesia ab alia distingui posset respectu cognitionis humanæ, si per istas non aliquid externum intelligeretur.

Meisnerus apud Thomam Henrici Anat. Conf. Aug, fol. 292. etiam vocat notas *essentiales*,

Conradus Dieterich in Instit. Cathechet. de Ecclesia. fol. 504. 505. appellat notas *infallibiles*, quæ *soli & semper conueniunt* & *ab ea*, id est, vera Ecclesia, *saparari nequeunt*: & addit, esse *adiunctum proprium, &c.* *Hinc* (ait) esse *Axioma: Vbi Verbum Dei sincerè prædicatur, & legitimè administrantur Sacramenta, ibi*

est

est vera Ecclesia; & CONTRA. & f. 505. fatetur has notas *ipsam essentiam Ecclesiæ ingredi.* & fol. 506. *esse causam formalem constituendæ & conseruandæ Ecclesiæ.*

Andreas Osiander in Resp. ad Analys. Greg. de Valent. fol. 208. & 211. ait, *Doctrinæ Veritas est de essentia Ecclesiæ.*

Ioannes Faber concionator Coburgi contra scriptum Austriacum. cap. 2. §. 10. apud Tannerum in Dioptra fidei, f. 332. ait. *Purum Verbum Dei est causa formalis Ecclesiæ: quia dat esse Ecclesiæ.*

Randolphus Francus in Resp. ad Symbolum Lutheranum Foreri, f. 167. ait. *cùm nobis disputatio sit de notis essentialibus, &c.* id est, *de pura Verbi prædicatione, &c.*

Froëreisenius, Vol. 1. panopl. Bellar. disp. 22. fol. 347. ait. *Hic non de accidentalibus, sed veris & essentialibus γνωρίσμασι solliciti sumus.*

Ioannes Gerardus, lib. 2. Confessionis Cath. fol. 1122. cap. 4. ait; *quædam notæ sunt propriæ & essentiales, quædam verò communes & accidentales. Illæ sunt principia & causæ rei proximè & adæquatè rem constituentes, atque ideò sunt perpetuæ, propriæ, essentiales, & infallibiles notæ, &c. hæc verò sunt signa & accidentia quædam externa, quæ rem externè circumstant, eiq; communiter accidunt, ac proinde sunt notæ communes & accidentales, ac proinde fallaces. Hoc loco quærimus notas Ecclesiæ proprias & essentiales, quas dicimus esse*

puram

puram prædicationem & legitimam Sacramentorum administrationem. fol. 1125. n. 2. ait, *Hæc nota* (scilicet pura Verbi prædicatio,&c.) *Ecclesiæ soli & semper conuenit. Verbum enim est veluti anima Ecclesiæ*; & n. 4. *ab Ecclesia separari nequit*; hactenus Lutherani.

Ex Caluinianis apud Brerleium, fol. 579. ait VVitgiftus in Defens. Resp. pag. 81. *Notæ essentiales Ecclesiæ hæ solæ sunt: Verbi prædicatio & recta Sacramentorum administratio.*

VVilletus in Synopsi Papismi, pag. 69. *Notæ externæ, quibus vera Ecclesia visibilis discerni possit, sunt duæ Notæ essentiales, Vera Verbi prædicatio, & rectus Sacramentorum vsus.* Igitur probatum est antecedens.

Iam probatur etiam consequens, nempe visibilitatem etiam esse de essentia Ecclesiæ. Impossibile est vel cogitare puram prædicationem Verbi & administrationem Sacramentorum sine visibilitate: Si ergo pura prædicatio,&c. sunt essentialia veræ Ecclesiæ, etiam visibilitas erit.

Resp. II. De ratione formali cuiuslibet congregationis, ac cœtûs hominum, humano ac sociabili more, & non fortuitò ac temerè, & inordinatè conflati, sed ad aliquem finem per certa sensibilia media consultò instituti, est, vt inter membra illius aliquod consortium sensibile externæ actionis intercedat, & illa se mutuò aliquâ ratione cognoscant;

Impossibile est, Ecclesiam esse omninò inuisibilem.

ſcant, ; quandoquidem homines ex anima & corpore compoſiti, inter ſe non ſolis mentalibus ſignis (ſicut Angeli) ſibi inuicem ſua interiora patefacere poſſunt ; & propterea linguam à Deo acceperunt ad mutuam interiorum ſenſuum communicationem : niſi velis ex Eccleſia facere Vtopicam & planè phantaſticam ac fanaticam Congregationem.

Sed vera Chriſti Eccleſia eſt Congregatio ſeu cætus à Deo tali modo inſtitutus, &c.

Ergo de ratione formali Eccleſiæ veræ eſt, vt inter illius membra aliquod conſortium externum dicto modo intercedat, cuiuſmodi eſt pura & vniformis verbi prædicatio, & Sacramentorũ legitima adminiſtratio. Quare vbi nullum eſt tale conſortium & communicatio externa, non eſt vera Eccleſia, non enim poteſt Eccleſia verè exiſtere ſine eo, quod eſt de ratione illius formali, ſiue voces *eſſentiale* quid, ſiue *proprium* ex eſſentia fluens, & *inſeparabile*; atque hoc eſt, quod pulcherrimè dixit S. Auguſtinus, lib. 19. contra Fauſtum, cap. 11. inquiens: *in nullum nomen religionis ſeu verum, ſeu falſum coagulari homines poſſunt, niſi aliquo ſignaculorum, ſeu Sacramentorum viſibilium conſortio colligantur.* Si ergo non poteſt eſſe *Religio*, ſeu cætus Religionis ſine tali *externo conſortio*, neceſſe eſt, iſtud externum conſortium eſſe de *ratione formali* illius cætus,

Probatur ex S. Auguſtino.

cætûs, aut quocunque demum modo *inſeparabile* ab illo: Non eſt igitur *accidens* tantùm *temporarium*; ſed eſt cum Eccleſia vera neceſſariò & perpetuò coniunctum. Igitur oſtendant, vbi ante Lutherum fuerit pura talis prædicatio verbi, & adminiſtratio Sacramentorum, qualem nunc habent Proteſtantes, ſiue Lutherani, ſiue Caluiniani.

EFFUGIUM XI.

HOc effugium *ſomniauit Melchior Nicolai Lutheranus Prædicans VVirtenbergicus in SOMNIO Vmbellæ*, f. 83. 84. &c. Diſtinguo (inquit) in puritate Verbi, *internam & perpetuam, & externam variabilem.* Illa ſublata etiam Eccleſiam tollit; quia eſt lemen, ex quo Eccleſia naſcitur, ſine quo naſci & exiſtere non poteſt: Hæc ſublata Eccleſiam non tollit, ſed vitiat. Si enim tolleret, toties Eccleſia nulla fuiſſet, quoties idololatriâ, aut falſæ doctrinæ ſubintroductione, corrupta fuiſſet.

Ecce! ſomniator venit Melchior Nicolai in ſuo ſomnio Vmbellæ.

Dico ergo. I. Eccleſiam pontificiam ab eo tempore, quo Antichriſtianis erroribus corrumpi cæpit, per mille annos & ampliùs habuiſſe internam Verbi diuini puritatem, & notâ hâc veram & viſibilem Eccleſiam eſſe demonſtratam. Quod autem infert Laurentius, ſi retinuerit iſtam notam, impoſſibile

esse, vt illa simul etiam errores contra fundamentales articulos docuerit, quia simul puram, & impuram doctrinam traditura fuerit, quod implicet contradictionem, respondemus non implicare contradictionem, nisi idem de eodem, respectu eodem affirmetur & negetur. Nos autem non dicimus prædicationem puram Verbi diuini esse Notam Ecclesiæ simpliciter, sed tantùm vt est interne pura, alioquin si & externa puritas intelligeretur, necessariò dicendum esset, veram & visibilem Ecclesiam ferè semper defeciſſe; cùm etiam de Temporibus Mosaicis Stephanus protomartyr, Actor. 7. v. 41. dicat, *fecerunt vitulum in diebus illis, &c.*

RESPONSIO.

Existimat hic Melchior se Olympicam, aut Pythiam coronam hâc distinctione promeritum esse. Videamus quàm benè. Meum argumentum in Vmbella, fol. 33. hoc erat.

Argumentum Vmbellæ ex Notis essentialibus Ecclesiæ, quas Aduersarij assignant.

Lutherani docent, Notas veræ Ecclesiæ esse puram prædicationem Verbi, & legitimam Sacramentorum administrationem. Quæro ergo vtrum Ecclesia Pontificia ante Lutherum per mille annos has Notas habuerit, an non? Si non habuit, sequitur nullam tunc fuisse visibilem veram Ecclesiam Christi in Mundo per mille annos, extra quam nemo salutem consequitur. Nemo igitur toto illo tempore saluatus est, quod absurdissimum,

dissimum. Notæ enim istæ secundùm vos sunt essentiales veræ Ecclesiæ. Ergo vbi illæ non sunt, ibi nulla est vera Ecclesia, quæ sine suis essentialibus subsistere nequit; & tamen Tu dicis, non ideò Ecclesiam fuisse nullam, quia Tyrannide Pontificiâ fuerit oppressa. Ergo sub isto Pontificio regimine semper adhuc fuit & permansit vera Ecclesia. Ergo semper etiam retinuit has Notas, si autem semper retinuit, impossibile est, vt illa simul errores contra fundamentales fidei articulos docuerit: quia simul puram doctrinam tradidisset & impuram, quod implicat.

Ita ego in Vmbella. Quid ad ista, obsecro, facit tua, Melchior, distinctio de interna & externa puritate Verbi?

Nam I. *Interna* ista *puritas Verbi*, vt tu vocas, vel est idem cum ipsa *prædicatione pura Verbi*, vel non est idem: Si non est idem, sed aliquid diuersum, tunc frustra, & tantùm ad nebulam offundendam à te hic affertur pro membro distinctionis: nos enim de ipsa *prædicatione Verbi pura* in concreto disputamus, quam dicitis esse *Notam* cognoscendæ Ecclesiæ. Nota autem Ecclesiæ esse non potest *puritas*, quæ est *merè interna*, & à prædicatione externâ penitùs abstracta & separata: sicuti neque potest esse vlla *prædicatio Verbi* merè *interna*. Quis enim hominum vnquam audiuit prædicantem tantùm animo, non

Refellitur Melchior.

ore loquentem? nonne disertè Apostolus dicit ad Rom. 10. *Fides est ex auditu? & quomodo audient sine prædicante?* Si verò *interna* ista puritas est idem cum *prædicatione Verbi*, tunc non est *interna*, sed *externa*; cùm enim *prædicatio Verbi* non possit esse purè ac merè *interna*, sed necessariò & infallibiliter debeat ministerio Ecclesiæ exteriùs peragi; ministerium autem Ecclesiæ inter homines, & in humana societate, impossibile sit solis internis cogitationibus fieri; non potest esse puritas prædicationis, nisi externa: cùm non possit esse actu prædicatio, nisi externa. Igitur tua distinctio est inepta; vtpote in qua vnum membrum distinctionis nullum ac prorsùs impossibile est, aut cum altero idem est.

11. Vel pueri in Dialectica nôrunt, *Concretum* plus significare, quàm *abstractum*. Ergo etiam plus significat *prædicatio pura Verbi*, quàm tantùm *puritas Verbi*. Nam vocabulum (*pura*) est *concretum*, & præter subiectum in recto, etiam significat in obliquo *puritatẽ*; vt *prædicatio pura* idem sit, quod *prædicatio* habens *puritatem*, seu nullam habens erroris & falsitatis admixtionem: sicut cùm dico *aurum purum*; quid volo dicere, nisi aurum nullo viliore metallo adulteratum? Quomodo ergo vos Protestantes dicitis, *Notas essentiales* Ecclesiæ, esse *puram prædicationem*

Ver-

Verbi, &c. aut in dicto concreto ſenſu debetis accipere *prædicationem puram Verbi*, vt præter *puritatem*, etiam ipſa externa *prædicatio Verbi*, velut ſubiectum, & quidem in recto intelligatur, quod hæc verba apud omnes gentes ſonant: aut profectò turpi abuſu vocabulorum illuditis totiChriſtianitati. Cùm igitur *prædicatio Verbi*, vt probatum, non poſſit eſſe *merè interna*, ſed omnium hominum, ratione vtentium, iudicio, ſit actio *externa* oris & linguæ, ſenſúque perceptibilis, neceſſe eſt quoque, *puritatem* illam (quam iactatis, quæque debet eſſe *prædicationi Verbi* inſeparabiliter connexa, vt ſecundùm vos, eſſentialis *Nota* veræ Eccleſiæ) eſſe EXTERNAM, vt tu, Melchior, Tua commentitiâ diſtinctione vis euincere.

III. *Externa puritas*, vel eſt etiam verè puritas, vel non: Si non eſt; falſò vocatur *puritas*; Si eſt; Ergo quia eſt coniuncta, *prædicationi Verbi*, eſt Nota veræ Eccleſiæ, iuxta Aduerſarios: & quia aliqua puritas eſt ei *eſſentialis*, ſecundùm eoſdem, ita vt non poſſit ab ea abeſſe; ſed ipſa poſita, ponat Eccleſiam, & ſublata tollat: interna verò puritas omninò non poſſit eſſe *Nota veræ Eccleſiæ* (quippe *incognita*, *occulta*, & conſequenter non apta ad deducendos homines in notitiam veræ Eccleſiæ) neceſſariò à *puritate externa* prædicationis id præſtandum eſt. Ergo *pura prædicatio*

Verbi externa est Ecclesiæ veræ Nota *essentialis*: Ergo ab ea inseparabilis: ergo ante Lutherum nunquam defecit in Ecclesia, ostendite igitur, vbi per mille & ampliùs annos anteriores fuerit audita talis *pura prædicatio Verbi*, qualem nunc vestram esse dicitis?

IV. Hinc sequitur falsum esse, quod Melchior dicit, *puritatem Verbi internam*, esse *semen, ex quo Ecclesia nascitur*, cùm illa sit fictitia & nulla, aut certè non sit cognita. Ex nihilo autem nihil fit, sicut enim nulla datur *pura prædicatio Verbi* merè interna; quæ sit nota Ecclesiæ: ita nulla datur *puritas prædicationis Verbi* merè interna: quod autem non est, aut planè incognitum est, non potest esse *semen, ex quo nascitur Ecclesia*. S. Paulus dicit, 1. Cor. 4. v. 15. *in Christo IESV per Euangelium ego vos genui*: vtique, per Euangelium non tantùm ab ipso *cogitatum*, sed purè ab ipso, ministerio linguæ, *prædicatum*, prædicatio autem illa pura Euangelij ad Corinthios facta, externa fuit actio, non merè interna.

V. Sequitur quoque esse falsum, quòd Ecclesia Pontificia per mille & amplius annos habuerit internam Verbi diuini puritatem, & non habuerit etiam externam; Quis enim credat adeò, aut insanos & mente captos, aut saluti cùm propriæ, tùm alienæ, tam inuidos, támque extremâ malitiâ suffusos omnes Doctores, Pastores, & Episcopos, fuisse per mille annos,

annos, vt, si habuerunt internam puritatem Verbi, illã tanto tempore flagitiosissimè celare homines, Mundúmq; per externam prædicationem tot erroribus implere voluerint?

VI. Itidem est falsum, per istos mille annos, & ampliùs, *hac Notâ* (scilicet *interna* puritatis) *veram & visibilem Ecclesiam esse demonstratam*. Dic, Melchior, vbi fuisti, cùm ista in tuo somnio somniares? Nam 1. si per mille annos ante Lutherum, *Ecclesia vera visibilis fuit demonstrata*, cur ergo nobis petentibus, vbi tunc fuerit *vera visibilis Ecclesia*, idem respondetis, illam *latuisse*, & non fuisse *visibilem*? an non id *videtur*, quod *demonstratur*, esse *visibile*? Ostendite ergo, vbi *demonstrata fuerit* vestra Ecclesia visibilis; si fuit simul inuisibilis, vt & vos dicitis? 2. Quomodo potuit *interna puritas*, nusquam populo promulgata, neminique cognita *demonstrare veram visibilem Ecclesiam*? Si dicas eam per prædicationem hominibus innotuisse: ergo non fuit per *internam*, sed per *externam* puritatem prædicationis demonstrata Ecclesia visibilis: prædicatio enim est externa actio. 3. Si externa prædicatio fuit impura, quomodo per illam puritas interna potuit demonstrari? O Melchior!

Melchior planè somniauit, cùm hæc scriberet.

VII. Neque euades per id, quod additur; *Nos autem* (inquis) *non dicimus prædicationem puram Verbi diuini esse Notam Ecclesiæ simpliciter*; *Melchior iterum*

nescit quid loquatur.

sed tantùm, vt est internè pura; alioquin si & externa puritas intelligeretur, necessariò dicendum esset, veram & visibilem Ecclesiam ferè semper defecisse, &c. Quid, obsecro dicis? 1. *Si Ecclesia vera visibilis demonstrata fuit* per mille & amplius annos: ergo toto illo tempore, *Ecclesia vera visibilis*, extitit in Mundo conspicua, & cognita. Ergo etiam tunc semper *extitit* in Mundo *externa pura prædicatio Verbi*, quæ est necessariò connexa veræ Ecclesiæ, iuxta Axioma Conradi Dieterich paulò ante, Effugio 10. citatum: *prædicare purè Euangelium, &c. est effectum proprium Ecclesiæ, & proprium officium Ecclesiæ*, quod non potest solùm de interna *puritate* intelligi. Officium enim Ecclesiæ non est, vt tantùm internè, sed externè prædicet Verbum Dei purè, alioqui nisi hoc concedatis, illusores estis & turpissimè decipitis tot animas sanguine Christi redemptas. *Hinc axioma*, ait Dieterich. *Vbi Verbum Dei sincerè prædicatur, &c. ibi est vera Ecclesia, & CONTRA.* Quis non videat illum simpliciter de externa prædicatione loqui, cùm impossibile sit hominibus prædicare Verbum Dei per locutionem merè mentalem & internam? Ergo etiam vbi est vera Ecclesia, ibi Verbum Dei purè exteriùs prædicatur, sed vera Dei Ecclesia, mille annis *visibilis demonstrata fuit*, vt tu ais: Ergo toto illo tempore *externè* quoque Verbum Dei *purè prædi-*

catum

catum fuit. Ergo ostendite vbi hoc factum sit! Cùm enim sit hoc Ecclesiæ veræ *adjunctum necessarium, proprium, ac perpetuum*, vt ait Mayffartus & Dieterich; Ideò quamprimùm prædicatio incipit *externè* esse impura, aduersarique fidei articulis necessarijs, & acceptatur à populo, jam desinit esse Ecclesia vera visibilis: vt enim puritas externa doctrinæ, ponit Ecclesiam veram, ita impuritas externa eiusdem doctrinæ negat & tollit Ecclesiam veram, vestrómet iudicio.

Quod vel ex eo confirmatur. Quia véra Ecclesia vbicunque, & quandocunque est, tenetur *simpliciter* & sub periculo salutis aliquo modo profiteri externè, & *exteriùs*, veram, puram, & incorruptam fidem. *Ore enim fit Confessio ad salutem*: Ergo si nusquam id facit, nusquam est vera Ecclesia: quia defecit in re *simpliciter* necessaria.

VIII. Vnde falsissimum, pestilentissimum, nec vllo modo inter Christianos tolerandum dogma est Melchioris dicentis, *Ecclesiam veram posse esse, & manere simul veram Ecclesiam, & tamen nihilominus errores omnis generis contra fundamentales fidei articulos dovere, adeóq; simul puram & impuram doctrinam tradere*: quo pacto Ecclesia vera Christi esset colluuies & sentina omnium, tam Hæreticorum & Hæresiarcharum, quàm rectè credentium, quòd nemo nisi impius, asseueraverit: & semper

Pestilens & intolerabile dogma, Ecclesiam veram posse simul puram & impuram doctrinam docere.

semper negauit orthodoxa Antiquitas; quæ nunquam concessit Arianos, Nestorianos, Macedonianos, Eutychianos, & Manichæos esse in Ecclesia, aut illorum errores à vera Ecclesia doceri: quòd tamen admittendum esset, si vera Ecclesia simul veram & fallã doctrinam tradere & docere posset. Videat ergo VVirtenbergia qualem Doctorem foueat in sua Prouincia.

Nec valet illius distinctio. *Vel enim errores* (inquit Melchior, fol. 84.) *dicitur habere internè, ita vt ipsum Verbum in quibusdam dicatur erroneum. Hoc sensu non potest error stare cum vera & visibili Ecclesia. Ruit enim authoritas scripturæ tota, vnico errore in ea reperto. Ruente autem scripturâ, quæ est fundamentum, ruere oportet Ecclesiam, quæ est fundamentatum. Vel dicitur errores habere externè, quo sensu stare vtiq; potest cum ijs vera, & visibilis Ecclesia. In vno enim agro ejusdem Ecclesiæ* SPARGIT DEVS *bonum semen, & diabolus inspergit Zizania. Vtraq; crescunt & producunt, illud quidem filios regni, hoc filios Diaboli.*

Resp. Melchior non facit finem errandi, nisi faciat finem scribendi; vt suam fictitiam *internam* puritatem *prædicationis Verbi* defendat, eam tandem ad solum *Verbum*, id est, *ad solam sacram scripturam, quam solam intelligit nomine Verbi*, restringit, & dicit hanc *internam puritatem* prædicationis in hoc consistere, vt

ipsum

ipſum *Verbum* Dei *non dicatur erroneum*, ſiue in aliquo capite fidei errare; *& ſic poteſt ſtare* (inquit) *error cum vera viſibili Eccleſia.* Sed hoc eſt 1. ſtatũ quæſtionis mutare, & de alijs reſpondere, cùm de cæpis debuiſſes. Nam longè aliud eſt Verbum Dei in ſe, aliud Verbi Dei prædicatio. Hanc vos hactenùs dixiſtis *eſſentialem* eſſe *notam Eccleſiæ*; non illud. Igitur de *prædicatione Verbi*, non de ipſo *Verbo* diſputamus. Verbum Dei nunquam poſſe eſſe in ſe falſum, fatemur; prædicatio autem, ſiue interpretatio illius, falſa eſſe poteſt: & de facto falſa eſt, in tot diuerſarum ſectarum Eccleſijs, quæ omnes eandem Scripturam iactant, vt patet ex verbis notiſſimis (*Hoc eſt corpus meum*) & tamen illam diuerſiſſimis modis interpretamini. Ergo licet Verba iſta ſint eadẽ, veſtra tamen interpretatio, ſeu prædicatio non eſt eadem; an non hoc pacto facitis ex Eccleſia Ariana, Eutychiana, Neſtoriana, Sociniana, & quocunque alio etiam peſſimo cætu hæreticorum, ſacram Scripturam pro ſe allegantium, veram Chriſti Eccleſiam? Quo quid abſurdius? quid magis impium? pleræque enim illæ dudum damnatæ, ſceleratiſſimæ ſectæ, habuerunt Verbum Dei *internè*, & *in ſe purum*; & ſolùm *externâ* prædicatione, deprauatione, & interpretatione illud adulterârunt, & impurum reddiderunt: Quis autem niſi amens illos cætus veras Chriſti Eccleſias dicat?

Per *agrum* illum, in quo fuit *malum semen* sparsum à Diabolo, Matth. cap. 13. *Respondeo I.* cum S. Augustino. lib. q. q. Euang. in Matth. *non intelligi Ecclesiam*, sed totum *Mundum*, vt ipse Christus. v. 38. explicauit. Ideò etsi Hæretici ibi per Zizania quoque intelligantur, illi tamen *non societate Vnius Ecclesiæ, vel vnius fidei, sed societate solius nominis Christiani in hoc Mundo permiscentur bonis.* Quare non sunt propriè in Ecclesia, neque illius membra. *At illi, qui in eâdem fide mali sunt, palea potiùs, quàm Zizania reputantur: quia palea etiam fundamentum ipsum habet cum frumento, radicémq; communem*, inquit S. Augustinus: *II. Esto*, per *agrum* intelligi etiam Ecclesiam, tunc per *Zizania* non intelliguntur errores in fide, sed in moribus & vita: Eius enim generis Zizania & errores in Ecclesia quoque crescere ex malo semine, quod Diabolus huic agro identidem inspergit, non negamus. Semper enim reperiuntur homines, qui tametsi rectè credant, non tamen rectè viuunt.

IX. Ex his omnibus liquet, hæc duo apertam contradictionem implicare, nempè, *Eandem Ecclesiam Catholicam tanto tempore à vera fide defeciſſe, & nihilominus Ecclesiam veram Catholicam semper permansisse*, quod asserit Melchior. Nam quod ait, *Hæreticam Ecclesiam, vt talis, quatenus est colluuies, veritati, etiam*

post admonitiones resistentium, verum domini corp⁹ dici non posse, quatenus autem includit in sensu simplicitatis sua ambulantes & profunda Satanæ nõ capientes, aut ijsdem, si capiunt, ingemiscentes, veram Ecclesiã, propter ista frumenta manere, hoc friuolum est & nullius momenti. Quia illa *colluuies hæreticorum, veritati etiam post admonitiones resistentium*, non est in vera Ecclesia, nec pars illius. Foris enim sunt, qui *exierunt* per Hæresim ex Ecclesia vera. Igitur errores illorum veræ Ecclesiæ adscribi non debent: quæ horum respectu nunquam potest dici, in fide errare: respectu simplicium, si aliqui fortè ex inuincibili ignorantia minùs rectè sentirent: talium error tantùm *materialis* est, & absque pertinacia: vnde consequitur, veram Ecclesiam semper sanam & incorruptam doctrinam tradere, & profiteri, & nunquam contingere, vt eadem Ecclesia secundùm aliam sui partem à vera fide deficiat, & erret, & secundùm aliam, vera Ecclesia permaneat, pars enim quæ formaliter & pertinaciter errat, non est ampliùs illius pars.

X. Addo, simpliciter falsum esse, quòd *pura prædicatio Verbi & legitima administratio Sacramentorum* sint nobis *Notæ Ecclesiæ veræ*, vt vos dicitis: Nam Notæ Ecclesiæ, sunt *Symbola Ecclesiæ dignoscendæ*, ait, Caluinus; & (teste Petro Molinæo in *Nouitat. Bapismi* Germ. fol. 99. & 100.) *sensibus exterioribus perceptibilia*,

Pura prædicatio Verbi, & recta administratio Sacramentorum mul-

assignantur pro Notis Ecclesiæ à Protestantibus.

lia, simúlque *notiora*; *quàm sit ipsa res signata*, cùm debeant nos ducere in cognitionem rei incognitæ: *ignotum enim per ignotius* docere velle, est stolidissimum; atqui *puritas doctrinæ*, & *recta Sacramentorum administratio*. quæ *pura* & *recta* sunt, nobis non notiora sunt, quàm sit vera Ecclesia. Ergo Symbolum & Notæ veræ Ecclesiæ esse non possunt.

Maior est etiam apud aduersarios in confesso.

Probatur 1. Subsumptum, ex S. Augustino in psal. 30. conc. 2. vbi ait: *Obscurius dixerunt Prophetæ de Christo, quàm de Ecclesia: puto propterea, quia videbant in Spiritu contra Ecclesiam homines facturos esse particulas*) id est, pri-

S. Augustinus ait Prophetas clariùs de Ecclesia loqui, quàm de Christo.

uatas Ecclesias) *& de Christo non tantam litem habituros, de Ecclesia magnas contentiones excitaturos, ideò illud, vnde maiores lites futuræ erant, planiùs prædictum est, apertiùs Prophetatum est, vt ad iudicium illis valeat; qui viderunt & foras fugerunt.* & paulò post: *pænè vbique Christus in aliquo inuoluto Sacramento prædicatus est à Prophetis, Ecclesia apertè, vt viderent illam, & qui futuri erant contra illam, & impleretur in eis nequitia, quam prædixit psalmus, Qui videbant me, foras fugerunt à me. Ex nobis exierunt: sed non erant ex nobis.* Vnde sic argumentor. Si Prophetæ *obscuriùs* dixerunt de Christo, quàm de Ecclesia, tunc clariùs dixerunt de Ecclesia, quàm de Christo: quia sunt reciproca. Ergo ex Scri-

ex Scriptura notior est Ecclesia, quàm Christus, seu pura doctrina de Christo: Ergo pura doctrina nõ est Nota Ecclesiæ. Nota enim rei debet esse notior re ipsâ. Atqui pura doctrina de Christo nõ est notior quàm Ecclesia.

II. Hoc ipsum confirmant omnia, quæ supra *Theoremate* primo, secundo, tertio, & quarto diximus de Ecclesia, præsertim ex Veteri & Nouo Testamento, quæ tam apertas & magnificas promissiones continent de visibilitate, claritate, & amplitudine veræ Ecclesiæ, vt etiam *stulti eam inuenire sine errore possint*, sicut expressè prædixit Esaias, cap. 35. v. 8. *Et erit ibi semita, & via, & via sancta vocabitur: non transibit per eam pollutus, & hæc erit vobis directa via, ita vt STVLTI non errent per eam.* quem locum nec ipsi Protestantes possunt negare de Ecclesia vera Christi loqui, quæ est vtique *semita & via recta ac sancta*, teste ipso Luthero. tomo. 4. VVitteb. in cap. 35. Elaiæ, f. 157, b.

Ecclesia tam apertè & clarè in Scripturis est depicta, vt etiam stulti non errent per eam. Esaiæ 35. v. 8.

III. *Puritas* doctrinæ ex sententia Protestantium apud Molinæum in Nouit. Papismi, fol. 101. Germ. aliter cognosci non potest, nisi ex Scriptura; sicut & *rectitudo* seu *puritas* Sacramentorum; At quæ sit Scriptura indubitata, certò & infallibiliter non possumus nôsse, nisi testimonio Ecclesiæ. Ergo priùs debemus nôsse Ecclesiam. Ergo puritas doctrinæ non est Nota, seu medium cognoscendi Ecclesiam, à quâ Ecclesiâ ipsa Puritas

Communiter Protestanees docent, puritatem doctrinæ non posse cognosci, nisi ex Scriptu-

ra: Quomodo ergo illam discent, qui legere nesciunt?

ritas discenda est. Deinde hâc ratione oporteret priùs legisse & perpendisse totam Scripturam, antequam quis posset noscere veram Ecclesiam. Ecquando igitur simplices & nescientes legere, venirent in notitiam Ecclesiæ? si dicas debent credere suis Pastoribus, quid si Pastores illi fallant? dicunt enim, quòd omnis homo sit mendax. Sic equidem non crederent Verbo diuino, sed humano, quod fallax est.

IV. Eadem est ratio de vero sensu Scripturæ. Nam etiam postquam certi sumus, hanc vel illam esse veram sacram Scripturam, nondum tamen certi sumus, hunc, vel illum esse verum sensum Scripturæ, nisi iudicio Ecclesiæ, cui denique acquiescendum est; alioqui nunquam erit litigandi finis. Ideo ex sola Scriptura nemo vnquam tutò cognoscet *puritatem* doctrinæ. Certè S. Augustinus contra Epist. fund. c. 5. imperterritè dixit, *Ego Euangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ Catholicæ commoueret authoritas:* & paulò post. *Cui libro* (loquitur de Actis Apostolorum) *necesse est me credere, si credo Euangelio, quoniam vtramq; Scripturam similiter mihi Catholica commendat authoritas.*

Summa est dissensio apud aduersa-

V. Vt scias, quænam sit *pura* doctrina, oportet te priùs scire omnes articulos fidei ad salutem necessarios; quia si vel in vno fundamentali erraret, jam non haberes *puram*,

sed

sed falsitate *permixtam* doctrinam. Inter hos articulos autem est etiam ipse articulus de Ecclesia. Ergo Ecclesiam ante Ecclesiam deberes agnoscere: quod ridiculum.

rios, quænam sine articulis fidei necessarij, quos tamen debent omnes priùs nôsse, antequam sciant, vtrum aliqua doctrina sit pura, nec ne?

VI. Notæ Ecclesiæ dantur, vt qui nondum sunt in Ecclesia, per aliqua certa exteriora signa, seu indicia quasi manu ducantur ad eam velut ad matrem, vt ab illa in omnibus ad salutem pertinentibus deinde erudiantur, vt fit Ethnicis, Hæreticis, &c.

Ergo puritas doctrinæ non est Nota: alioqui si isti totam doctrinam Christianam jam complecterentur, aut complecti deberẽt antequam Ecclesiam cognoscerent, jam cessaret apud istos Ecclesiæ officiũ, seu Magisterium, nec supereffet, quod illos ampliùs doceret Ecclesia.

Equidem ob eam causam imperiti ac dubij Ecclesiam inquirunt, vt ex ea veram fidem purámque doctrinam condiscant? Ita Protestans Bancroftus, in concione habita 8. Febr. 1588. fol. 42. *Deus Ecclesiæ* (inquit) *eo fine se affuturum promisit, vt homines per eam in rebus dubijs dirigerentur.* & Fieldus in epist. Dedicat. lib. de Eccl. apud Brerl. fol. 582. Quandoquidem (ait) *controuersiæ de religione hâc nostrâ ætate tot sunt numero, ac naturâ suâ tam difficiles, vt paucis per otium, paucioribus per intellectus acumen eas examinare liceat, quid demum restat veritatem in rebus tam necessarijs inquirentibus,*

Fatentur aliqua ad. uersarij ante omnia quærendam veram Ecclesiam.

quàm sedulò inuestigare, quinam inter tam varios, qui modò extant, sit cœtus ille Sanctorum, illa domus fidei, illa Sponsa Christi, & Ecclesia Dei viuentis, quæ est columna & firmamentum Veritatis, vt Communionem eius amplectantur, consilia eius sequantur, denig; iudicio eius acquiescant? Ergo præposterum est, aliâ viâ priùs velle puram doctrinam cognoscere, quàm ipsam Ecclesiam inuestigare. Atque idcirco Ecclesiam Pastoribus carere non posse, apertè Protestantium doctissimi asserunt, præsertim Caluinus, lib. 4. cap. 3. §. 4. *sequuntur Pastores,* inquit, *& Doctores, quibus carere nunquam Ecclesia potest.* & Fieldus de Eccles. lib. 2. cap. 6. initio pag. 511. apud Brerleium loc. cit. *Ministerium pastorum & Doctorum absolutè & essentialiter necessarium est ad Ecclesiam constituendam.* Ratio huius est, quia *Fides est ex auditu; auditus per Verbum: Quomodo vero audient sine prædicante?* Rom. 10. Hinc Caluinus ait super illa verba Pauli ad Ephes. 4. v. 11. *Christus posuit aliquos Apostolos, &c. Regimen Ecclesiæ, quod Verbi ministerio constat, non ab hominibus excogitatum, sed à filio Dei positum esse docet Apostolus.*

Caluini memoranda sententia de Ecclesiæ necessitate.

Vnde eos insanire palàm est, qui præterito hoc medio, se in Christo perfectos fore sperant, vt fanatici, qui arcanos Spiritus, reuelationes sibi fingunt, & superbi, qui priuatæ Scripturæ lectionem sufficere sibi putant, vt nihil indigeant communi Ecclesiæ ministerio. Paulus apertè hic testatur, non alio modo

secun-

ſecundùm Chriſti præſcriptum, ritè coagmentari nos, & perfici, quàm per externam prædicationem, dum per homines patimur nos doceri ac regi. Hæc vniuerſalis eſt regula, quæ tam ad ſummos, quàm ad infimimos extenditur. Et certè Eccleſia communis eſt piorum omnium Mater, quæ tam Reges, quam plebeios gignit, in Domino nutrit, & gubernat, quod fit miniſterio. Fateor ſanè ab Eccleſia petendam eſſe ſanam doctrinam, quia illi diſpenſationem commiſit Deus. Hæc Caluinus. Oſtendant ergo aduerſarij tale miniſterium, tales Paſtores & Doctores, qui ante Lutherũ idem docuerint, quod ipſi nunc docent. De hac re plura dixi in 1. part. Antimolinæi lib. 1. cap. 13. §. 2. & in Manuali Lutheranorum, fol. 753. Vide etiam Stapletonum Controu. 1. de Eccleſ. q. 4. art. 5. & Brerleium in Apolog. Proteſtant. f. 579. & ſeqq. Tract. 2. Sect. 11.

Confeſſio Caluini, ab Eccleſia petendam eſſe ſanam doctrinam, ſana autem doctrina eſt pura doctrina.

EFFUGIA

Contra Infallibilitatem Vniuerſalis Eccleſiæ, quòd errare non poſſit in fide.

I. EFFUGIUM.

CONtra illum locum Apoſtoli, 1. Tim. 3. v. 15. vbi Eccleſiam vocat *Columnam & firmamentum Veritatis.*

Dicunt 1. Non rectè hinc probari, vni-

uersalem Ecclesiam errare non posse, alioqui sequeretur etiam, Ecclesiam particularem errare non posse, quod falsum. Paulus enim ibi loquitur de particulari Ephesina Ecclesia, in qua versabatur Timotheus, ad quem scripsit Epistolam: constat autem Ecclesiam Ephesinam à fide defeciſſe & errâsse, vt & multas alias particulares Ecclesias. Ita passim Lutherani & Caluiniani.

Quomodo Ecclesia sit columna & firmamentum Veritatis.

Resp. Negando sequelam. Timotheus enim licet fuerit in particulari Ecclesia Ephesina, fuit tamen etiam in vniuersali Ecclesia hoc ipso, quia fuit in aliqua parte vniuersalis Ecclesiæ, sicuti qui in hypocausto ambulat, etiam in domo in qua est hypocaustum, ambulat; & digitus, qui est in manu, est etiam in corpore. Igitur verum non est, S. Paulum non loqui de Vniuersali Ecclesiâ.

Dicunt II. Si omne id, quod vocatur in Scriptura *Columna*, est infallibile, sequitur etiam singulos homines esse infallibiles, de quibus etiam dicitur Apocalyp. 3. *Qui vicerit, faciam eum columnam in templo Dei mei*, & ad Galat. 2. *Iacobus, Cephas, & Ioannes, qui videbantur columnæ esse*. Sed consequens est falsum.

Resp. I. Disparem esse rationem. Concedimus, non omne quod dicitur quomodocunque *columna*, esse infallibile, sed quod speciatim dicitur *columna Veritatis*, vt hîc, *Ecclesia*.

clesia. Cùm enim *columna* non tantùm firmitatem habeat, sed etiam altitudinem, vel alias qualitates; potest metaphoricè non tantùm immobilitatem, sed & quamlibet eminentiam significare, nisi per additionem alicuius obliqui v. g. *Veritatis*, determinetur ad certam significationem; vt fit apud Apostolum.

RESP. II. Rectè dicitur in Apocalypsi, eum, qui vicerit, hoc est, qui fortiter ad victoriam vsque, pro Christi fide pugnauerit, fore in Templo Dei, hoc est, in altera vita, *columnam* inconcussam, & ab omni metu subuersionis liberam. Igitur nihil ad rem hæc obiectio. De Iacobo, Cepha & Ioanne, quia fuerunt Apostoli, per se clarum est, fuisse infallibiles, & columnas veritatis, velut à Deo immediatè missi.

Dicunt III. Ecclesia non appellatur *Columna Veritatis, actiuè*, quòd Veritatem fulciat, sed *passiuè*, quòd fundetur in Veritate.

RESP. Ecclesia vocatur *Columna* in vtroq; sensu, vt benè docet Cornelius à lapide. In fide enim & veritate *passiuè* firmatur à Deo per infallibilem assistẽtiam Spiritûs sancti à Christo promissam, & per eam ipsa Ecclesia omnes fideles *actiuè* & infallibiliter sed ministerialiter cõfirmat. Nec refert, quòd Veritas sit fundamentum Ecclesiæ: quia cùm dicitur Ecclesiæ fundamentum, sumitur pro *fide*; cùm dici-

Ecclesia est passiuè & actiuè columna & firmamentum Veritatis.

citur inniti Ecclesiæ, velut columnæ, & sustentari, sumitur pro *obiecto fidei*: quod per Ecclesiam nobis innotescit. Innititur ergo Ecclesia veritati, quoad esse fidei tanquam fundamento: quia fides est constitutiua differentia Ecclesiæ: innititur autem Veritas Ecclesiæ tanquam *obiectum fidei*, respectu nostri, & quoad *cognosci*, quatenus ab Ecclesia proponitur fidelibus veritas credenda; & sic diuerso respectu Veritas Ecclesiam vt fundamentum sustentat, & ab ea sustentatur: sicut Christus diuerso respectu est vitis, & est agricola, est ostium in ouile, & est Pastor. Ita Cornelius.

Dicunt IV. Ecclesia vocatur *columna Veritatis*, non quòd sustentet Veritatem, sed quòd in ea proponantur decreta *Veritatis æternæ*, scilicet sacra Scriptura: sicut in columnis ante Curias positis affiguntur & promulgantur decreta magistratûs.

Effugia planè misera aduersariorum.

Resp. Hoc fictitium esse, & menti Apostoli manifestè aduersum. Nam talem columnam in qua tantùm affiguntur Leges, nemo vnquam dixerit Legum *firmamentum*: quia nec illis robur tribuit, nec ad sustinendas illas chartas magno robore indiget.

Dicunt V. Ecclesia hîc non appellatur *columna* omnis Veritatis, aut solius Veritatis: sufficit igitur ad hunc titulum, si semper aliquas Veritates *fundamentales* sustineat, licet qui-

quibuſdam erroribus permixtas : ſicuti eadem columna ſimul metalla, lapides & ligna ſuſtinere poteſt.

RESP. Si Eccleſia tantùm ideò diceretur *columna Veritatis*, quia aliquas veritates ſuſtineret fundamentales, tunc omnes hæreticorum Sectæ dicerentur eodem iure columnæ Veritatis : quia nulla eſt, quæ non aliquas fundamentales veritates retineat, & ſymboli Apoſtolici articulos pleroſque ſe tenere iactet. Sed conſequens Apoſtolo aduerſatur : quia Eccleſiam veram, vt diſtinguitur ab hæreticis cætibus, voluit ſingulari encomio afficere, quod alijs non conueniret.

Dicunt VI. Columnæ, licet robuſtiſſimæ & ſolidiſſimæ ſint, vetuſtate tamen euertuntur. Ergo hæc ſoliditas non ſolidè probat infallibilitatem Eccleſiæ perpetuam.

RESP. Apoſtolus non fruſtra addidit, & *firmamentum Veritatis* ; vt indicaret Eccleſiam eſſe *columnam* firmiſſimam : Quia columna ſtat, quàmdiu illud ſtat, quod illi innitur. Sed Veritas fidei, modo antea dicto, etiam innititur Eccleſiæ : Ergo Eccleſia in æternum ſtat : quia *Veritas Domini manet in æternum*, pſal. 116.

Dicunt VII. Eccleſiam eſſe columnam & firmamentum Veritatis, ſi, & quando, & quatenus à Veritate non recedit, ſed in ea permanet. Ita Tobias VVagner contra Beſol- *An Apoſtolus tantùm conditio-*

 dum,

natè loquatur?

dum, fol,507. Melchior Nicolai in Symb. Luth. Vindicato, fol. 217. & contra ſpec. Verit. Brandeb. fol. 130. 148. 156. 250. 251. vbi ait, verba Apoſtoli non habere *abſolutum*, ſed *conditionatum* ſenſum, quibus conſentiunt plures alij tam Lutherani quàm Caluiniani. Sed hanc interpretationem eſſe ineptam clarè oſtendi in Manuali Lutheranorum, fol. 547. & ſeqq.

Nugatoria reſponſio Melchioris Nicolai, & VVagneri.

Nam 1. Senſus eſſet talis: ſi Eccleſia ſuſtineat ſeu ſequatur veritatem, & in ea firma maneat, tunc eſt *columna* & *firmamentum* veritatis: ſed hoc eſt nugatorium, aut fruſtratorium: perinde ac ſi dicas: ſi diu vixeris, ſeneſces: ſi in fluuium cadas, madidus fies: ſi homo habet animam rationalem, eſt rationalis. Quis aùtem credat Apoſtolum voluiſſe more Cingarorum eiuſmodi fruſtratorio ſermone Timotheo illudere?

Concedit quidem Melchior, f. 252. contra ſpec. Brandeb. eſſe *nugatorium*, quando conditio cum conditionato neceſſariò eſt connexa: negat autem id in hac ſententia Apoſtoli fieri, eò quòd cum infallibilitate non habeat Eccleſia neceſſariam connexionem: ſed errat; etſi enim Eccleſia ex natura ſua, quà præciſè conſtat ex hominibus, ſine aſſiſtentia Spiritûs ſancti conſiderata, & ſine promiſſionibus diuinis, non ſit neceſſariò infallibilis: eſt tamen neceſſariò infallibilis,

ex

ex hypotheſi & vi promiſſionum diuinarum, de aſſiſtentia Spiritûs S. Eccleſiæ abſolutiſſimè factarum: *Portæ inferi non prævalebunt aduerſus eam:* Matth. 16. & *Verbum Veritatis non recedet de ore tuo, nec de ore ſeminis ſeminis tui, &c.* Iſaiæ 59. v. 19. vt ſupra vidimus. & *Ero vobiſcũ vſq; ad conſummationem ſæculi.* Matth. vlt.

Neque quidquam in contrarium probant Scripturæ, quas adducit Melchior ex Iſaia. 1. v. 22. 2. Cor. 11. v. 2. 3. Oſeæ. 2. v. 2. quæ de particularibus Eccleſijs, aut ſeorſim de individuis fidelium loquuntur, non autem de Eccleſia Vniuerſali.

11. Hoc ſenſu conditionato Nicolaitico non ſolùm quilibet homo, ſed etiam quilibet cætus Hæreticorum, Turcarum, Iudæorum, ac dæmonum eſt *columna* & *firmamentum* Veritatis; Nihil ergo ſingulare habet Eccleſia: Quo quid abſurdius? Quia & illi non errant, ſi, & quando, & quatenus manent in Veritate, & ſequũtur Verbum Dei. Et ad hoc miſerè reſpondet Melchior contra ſpec. Brandeb. remittitque Lectorem ad ſuum Symbolum vindicatum, quod à Manuali Lutheranorum validè eſt refutatum, fol. 554. 555.

111. Neque Vim habet contra nos illud, Ioan. 8. v 21. *ſi vos manſeritis in ſermone meo, verè diſcipuli mei eritis, & cognoſcetis Veritatem:* nec illud ſancti Auguſtini in pſal. 103. vbi de Chriſto tanquam Eccleſiæ fundamento diſ-

Refellitur inſtantia Melchioris.

ſerens,

ſerens, ait, *ibi firmati non inclinabuntur in ſæculum ſæculi*: & infra: *Firmus eris ſpe, ſi ab illo fundamento non recedas.* Sed hæc nihil nobis aduerſantur: quia *permanere in ſermone Chriſti*, non eſt nihil credere niſi ſcriptum, vt aduerſarij falſò interpretantur; cùm non omnes ſermones Chriſti ſint ſcripti, ſicuti nec facta omnia illius, Ioan. 21. v. vlt. Sed etiam datur Verbum Dei non ſcriptum; Non eſt igitur ſola ſcriptura Eccleſiæ fundamentum. Deinde, *permanere in ſermone Dei*, ſignificat hoc loco, eius præcepta operc exequi & implere, & ſic ſe eius *diſcipulum* probare. Hoc autem nil facit contra infallibilitatem Eccleſiæ in doctrina.

S. Auguſtinus verò loquitur de fidelibus ſingulis, qui tamdiu extra periculum erroris ſunt, quamdiu manent in fundamento, id eſt, Chriſto, ſicuti reuerâ manent, quamdiu, Eccleſiæ doctrinam ſequuntur, vt eſt communis ſententia SS. Patrum, qui promiſſiones iſtas vniuerſali Eccleſiæ factas de *infallibilitate*, omnes ſine conditione exponunt, vt videre eſt apud Bellarminum.

IV. Si eſt ſenſus conditionatus, ſequitur quemlibet priuatum conſtitui Iudicem totius Eccleſiæ, vt examinet, num eius doctrina ſit Verbo Dei conformis, nec ne? an non à veritate diſceſſerit? quod magnum abſurdum. Quis enim non exiſtimet toti Eccle-

Magnum abſurdum ſequitur ex ſententia de ſenſu

ſiæ,

siæ, eiúsque præsidibus à Deo constitutis plùs lucis & sapientiæ concessum esse, quàm vnicuiuis priuato? Quis cogitet Christum voluisse Apostolos, & eorum Successores, vniuscuiusque cerdonis, sutoris aut Lanionis iudicio subijcere?

conditionato.

V. Cùm Christus per Ecclesiam velit homines saluari, vt absque illius ministerio nemo saluetur, (Theorem. 1.) sequitur infallibilitatem absolutè necessariam esse Ecclesiæ: Tùm quia, si errare & fallere posset, homines de fide ad salutem necessariâ, nunquam essent certi, sed perpetuò dubitabundi, an non fortè erret Ecclesia? quòd quidem vel maximè etiam locũ haberet in Protestantium Ecclesia: tùm quia Christus velut sapientissimus Architectus, haud dubiè suam Ecclesiam omnibus medijs ad finem suum, hoc est, ad *munus Matris*, & *Magistræ*, ritè peragendum, necessarijs, optimè instruxit. Cùm ergo ad hoc, vt Ecclesia suo isto officio rectè defungi, & hominibus certò ostendere possit viam salutis, absolutè necessarium sit, vt ab errore ipsa sit immunis, non potest sensu tantùm conditionato intelligi ista diuina promissio.

Infallibilitas est absolutè necessaria Ecclesiæ, cùm ministerium Ecclesiæ sit, absolutè necessarium hominibus saluari cupientibus.

Dicunt VIII. Ecclesiam non esse *simpliciter* & *absolutè columnam* & *firmamentum* Veritatis, sed *secundùm quid*. 1. ratione professionis. 2. Custodiæ. 3. testificationis, quam perhi-

Mayffæi noua subtilitas de colum-

na simpliciter & secundùm quid.

perhibet de veritate in scriptis Propheticis & Apostolicis comprehensa. Ita Mayffartus. fol. 332. Item, quando Ecclesia dicitur *columna & firmamentum veritatis*, debet intelligi synecdochicè *de verè credentibus*. Idem, f. 301. Deinde *Quo ad publicum ministerium visibilem Ecclesiam totam in plurimis fidei articulis succubuisse docent Lutherani*. Inquit idem, fol. 331. AntiBecani, &c. *Iterum autem monemus, hæc verba per Synecdochen intelligenda esse de electis, &c. Potest autem cœtus electorum filiorum Dei veritatem conseruare & custodire, vt nihilominus Ecclesia visibilis quoad externum publicum ministerium erret. Exemplo est Ecclesia Ephesina, &c.*

Mayffartus ex nebula loquitur.

Resp. I. Ex nebula iterũ loquitur Mayffartus, & seipsum contradictionibus iugulat. Nam quando Ecclesia est *columna & firmamentum Veritatis*, ratione *professionis*, nisi quatenus palàm profitetur, seu confitetur veritatem? professio namque necessariò fit coram alijs: *ore enim confessio fit ad salutem*, non autem corde solùm, Rom. 10. v. 10. & *qui me confitebitur coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo*. Matth. 10. v. 32. Deinde quomodo Ecclesia est *columna & firmamentum Veritatis, ratione testificationis*, nisi quatenus Verbi diuini Veritatem, suo testimonio notam testatámque Mundo facit, hominésque in ea confirmat & corroborat, vt sciant, quodnam & quotuplex sit verum Verbum

bum Dei? quis sit verus illius sensus? quæ Apostolica interpretatio? Hæc autem præstare non potest, si ipsamet sit mendax & fallax. Quomodo enim certos poterit reddere fideles, & in fide vera suo testimonio consolidare, ne fluctuent, si ipsamet erroribus & falsis opinionibus est obnoxia? Quomodo illos docere indubitatè potest Euangelium S. Marci (qui non fuit Apostolus) esse verè Verbum Dei; & Euangelium sancti Thomæ (qui fuit Apostolus) non esse? An non expressè Apostolus dixit, in hunc finem Christum dedisse *Apostolos, Doctores & Pastores, &c.* ne vnquam tota Ecclesia paruulorum more erroribus circumueniretur? Ephes. 4. v. 11. 12. Ergo nunquam fieri potest, vt Ecclesia tota in fide erret.

Resp. II. Si Ecclesia est *columna & firmamentum Veritatis, secundùm quid*, & ratione *professionis, custodiæ*, & *testificationis*, vt Mayffartus dicit, tunc est *columna & firmamentum Veritatis*, ratione *externi ministerij*, seu ratione *externæ formæ*: Cùm hæc tria, *Professio, Custodia & Testificatio*, in externa actione necessariò consistant. Nemo enim sibi soli facit professionem fidei; nemo incolumem defendit & custodit Veritatem aduersùs hostes fidei, qui cum hostibus illis in certamen non descendit, quique nullum hostem vnquam nouit, aut vidit: Nemo testimonium Veritati perhibet,

Mayffartus sibi ipsi contrarius.

hibet, qui cum nemine de ea loquitur. Quomodo ergo Mayffartus etiam dicit, Ecclesiam esse columnam & firmamentum Veritatis, *quoad electos*, & verè credentes? Vel enim vult dicere, *quoad solos electos*, vel non; si priùs, ergo soli electi profitentur, & custodiunt veritatem, & de illa testificantur, adeóque penes solos electos est *ministerium externum* publicum Ecclesiæ, quod falsum; cùm ipsemet Mayffartus dicat, *Externum ministeriũ* publicum posse *totum errare in fide*. Electi autem, secundùm Protestantes, non possunt errare in fide. Si posterius; tunc Ecclesia non est tantummodo *columna & firmamentum Veritatis secundùm quid*, sed *simpliciter*: quia non soli electi *profitentur* & *custodiunt* veritatem Verbi, ac de ea *testificantur*, sed etiam non electi: ex his enim vtrisque simul sumptis constat tota Ecclesia. Igitur simpliciter verum est totam vniuersalem Ecclesiam non posse errare; vtpote quæ tam quoad electos. quàm quoad reprobos, est columna & firmamentum veritatis, ratione *professionis*, *custodiæ*, & *testificationis*.

Iterum murices & pedicas sibi posuit & ênijcit Mayffartus.

RESP. III. Si Apostolus intelligendus est *synecdochicè*, de parte tantùm Ecclesiæ, nempe de electis & verè credentibus, quæro vtrum saltem in his electis Ecclesia sit infallibilis & ab errore libera? Si affirmas; Ergo ante Lutherum nunquam quoad electos & verè creden-

dentes errauit in fide. Ergo ſemper fuit aliqua vera viſibilis Eccleſia, quæ in publico miniſterio ſaltem per electos non errauit: aut probandum aduerſarijs eſt, in publico miniſterio nullos vnquam fuiſſe electos: quod non poteſt probari. Oſtendant igitur Proteſtantes, vbi illa vera Eccleſia viſibilis fuerit.

Si dicas; Iſti *electi* fuerunt incogniti, occulti, & ſoli Deo noti: Contra. Ergo falſum eſt, Eccleſiam eſſe columnam & firmamentum veritatis, ratione profeſſionis, cuſtodiæ, & teſtificationis. Hæc enim non ſunt incognita, & ſoli Deo nota. Deinde, ſi iſti Electi occulti, non ſunt fidem profeſſi palàm, nec defenderunt eandem contra aduerſarios, nec de illa teſtificati ſunt, non fuerunt electi, nec ſaluati; quia fidem, quam corde tenuerunt, non ſunt confeſſi ad ſalutem, quando illam confiteri debuerunt, ne tota Eccleſia periret. Si autem fidem veram ſunt profeſſi, veritas quoad publicum miniſterium nunquam in Eccleſiam penitùs intercidit. Ergo falſum eſt, cùm Mayffartus ait, Eccleſiam viſibilem, quoad externum publicum miniſterium, errâſſe.

Inſtantia Mayffartii.

Sed regerit Mayffartus, f. 333. Etſi totum publicum miniſterium errauerit, non tamen

errauit tota Ecclesia: quia ipsum non est tota Ecclesia, cùm pars non sit totum. & fol. 33. 4. Nemo dixit totum ministerium publicum in omnibus fidei articulis defeciſſe. & fol. 318.

Noua exceptio Mayffar-

Quæstio quoad Ecclesiam visibilem non est ratione totius; an vniuersa Ecclesia visibilis quoad omnia eiusdem membra possit errare.

ii.

Negant enim Lutherani, & cætum electorum, qui propriè vera Christi Ecclesia dicitur, accuratè excipiunt, iuxta illud Christi, Ioan. 8. v. 12. sed solùm ratione partis; vtrum fieri possit, vt tota Ecclesia visibilis quoad publicum ministerium erret? affirmant Lutherani.

Ast hîc iterum quæritur ratione obiecti, seu materiæ circa quam: Vtrum tota Ecclesia visibilis quoad publicum ministerium totaliter, & in omnibus fidei articulis errare possit? Negant Lutherani; aliàs nulla maneret Ecclesia. Neruus ergo quæstionis est hic: Vtrum tota Ecclesia visibilis quoad publicum ministerium in quàmplurimis fidei articulis errare possit? Affirmant Lutherani; Negant Pontificij. Fieri quippe potest, vt omnes Ecclesiæ particulares (adeóque tota Ecclesia visibilis) corruptelis & erroribus obruantur, splendórque exterior PENITVS deficiat; neque supersit aliquis illustris ac conspicuus cætus, qui puro Verbi ministerio publicè sonante gaudeat.

RESP. I. Errante toto publico ministerio, omnes omninò publici Pastores & Doctores Ecclesiæ errant, in quibus consistit totum publicum ministerium; totum enim non est sine omnibus. Istis autem omnibus errantibus, nõ potest non etiam errare totus populus, qui debet audire Pastores suos, Lucæ 10. v. 16. Matth. 23. v. 3. nec potest vlteriùs quisquam discere fidei Veritatem, quam credat, sicuti credere oportet ad salutem. *Quomodo enim credent sine prædicante?* qui tali casu deesset, Ergo quando totum publicum ministerium errat, tota Ecclesia perit, neque quisquam ampliùs saluatur. Quare si per mille & ampliùs annos totum publicum ministerium fuit turpiter corruptum, vt Protestantes dicunt, nulla toto illo tempore fuit in terris Ecclesia. Vbi ergo tunc fuit Ecclesia Protestantium?

Plures falsitates Mayffarti.

RESP. II. Pars quidem in se non est totum: sæpè tamen fit, vt certâ deficiente parte, ex consequenti deficiat & totum, si nempe ex illa parte dependeant omnes reliquæ, cuiusmodi in homine est caput & cor; quorũ neutrum est totum corpus. Tolle autem alterutrum horum, vbi erit homo? Sic tolle ministerium exterius Ecclesiæ, vbi erit Ecclesia?

RESP. III. Fallum est neminem ex vestris dixisse, totum ministerium publicum in

omnibus fidei articulis in Papatu defeciſſe. An non Lutherus ex veſtris fuit? Is dixit Tomo 7. VVitteb. fol. 464. Papatum eſſe *ſpectrum mendaciorum à diabolo introductum ad hoc, vt* NIHIL, *niſi mendacia, blaſphemias, idololatrias in ea pariat, ad fidem, & Dei Verbum perdendum.* Hoc ſi verum, an non *in omnibus fidei articulis* Papatus defecit? alioqui falſum eſſet, quòd NIHIL, niſi mendecia pariat.

RESP. IV. Etiam falſum eſt, quæſtionem quoad Eccleſiam viſibilem *non eſſe ratione totius.* Clamant omnes Libri Catholicorum contra vos, Eccleſias particulares quà tales errare quidem poſſe, vti experientia docuit: At viſibilem Eccleſiam totam & vniuerſalem, quoad omnia membra ſua viſibilia, & in omnibus collectiuè locis, in exercitio publico, errare ſimul poſſe, conſtanter negamus.

RESP. V. Quando verò Mayffartus dicit, Lutheranos *cœtum Electorum excipere* ab errore, vel accipit *cœtum Electorum*, vt exteriùs profitentem veram fidem, vel, vt occultantem: ſi priùs; falſum eſt, totam Eccleſiam viſibilem, quoad miniſterium publicum, poſſe errare; ſemper enim aliqui etiam *Electi* ſunt de publico Eccleſiæ miniſterio, fidem veram profitentes: ſi poſteriùs: non ſunt *Electi*, ſed hypocritæ, aliud intùs credentes, aliud foris præ ſe ferentes; & conſequenter damnandi.

RESP. VI.

RESP. VI. Itidem falsum est, Neruum quæstionis esse solum, vtrum tota Ecclesia visibilis, quoad publicum ministerium in quàmplurimis articulis fidei errare possit; vt fallaciter Mayffartus contendit: sed, vtrum vel in vnico articulo fidei errare tota possit? Nos enim Catholici docemus, in nullo prorsus errare posse; cùm non sit ratio, si in vno errare potest, cur non possit in omnibus? pari enim impietate Deo reuelanti in vno non creditur, quâ in omnibus: quia Deus semper, & in omnibus est prima & summa veritas, fallere & falli nescia: quæ in vno non minùs meretur fidem, quàm in quouis alio, quod dicit.

RESP. VII. Diuinis promissionibus (in Theoremate 4. allegatis) nec non ipsi sapientiæ & prouidentiæ Dei summa irrogatur iniuria, cùm dicitur, totam, vniuersalem Ecclesiam visibilem corruptelis & erroribus ita posse obrui, vt exterior splendor seu facies *penitùs* deficiat, & nusquam ampliùs publicè Verbum Dei *purè* lonet. Esse enim tantùm *conditionatas* illas promissiones Dei, & non absolutas, falsissimum est, vt jam demonstrauimus. Repugnat etiam hoc *Notis essentialibus* Ecclesiæ, quas ipsi assignant aduersarij, nempe *puræ prædicationi Verbi, &c.* quæ est actio externi ministerij, & ab Ecclesia abesse non potest.

Repugnat prouidentiæ diuinæ, & promissionibus Dei, Ecclesiam totam errare.

EFFUGIUM II.

Circa illa verba Christi: Portæ inferi non præualebunt aduersùs eam,

Matth. 16. v. 18.

Dicunt aduersarij I. Non sequitur, inferos præualere aduersùs Ecclesiam, licet illa erret: modò in errore non perseueret.

Resp. Imò verò præualerent, saltem pro illo tempore, quo inducerent illam in errorem fidei, tametsi postea rursùs depositis erroribus dæmon vinceretur: sicut si hostis vi vrbem occupet, an non vrbi præualuit, vt victor vrbis tunc dici possit, quamuis post longum tempus iterum expellendus? Christus autem Ecclesiæ *simpliciter* promisit fore, vt nunquam vlla vis inferorum contra illam præualeat. Igitur simpliciter negandum est, eam in fide vnquam erraturam. Certè nunquam secura esset Ecclesia de sui conseruatione, si vel semel Diabolo tota succumberet, aut succumbere posset. Licet enim Diabolum iterum vicisset, esset tamen ipsa in perpetuo metu, ne rursùs vinceretur; & Diabolus semper haberet spem, Ecclesiam sibi denuò subijciendi.

Dicunt II. Dæmon potest Ecclesiam superare in moribus, fideles in grauia peccata im-

impellendo contra ſpem, charitatem, & alias virtutes: Cur ergo non poſſit ſimiliter præualere in fide; & inducere Eccleſiam in errores fidei? Ita Melchior Nicolai contra *ſpeculum* Brandeb. Veritatis, cap. 18. fol. 745. 746. *Qui enim facit peccatum*, inquit, *ſeruus eſt peccati*, Ioan. 8. v. 34. Et, *cui exhiberis vos ſeruos ad obediendũ, ſerui eſtis eius, cui obeditis*, Rom. 6. v. 16. Et, *reſipiſcunt à Diaboli laqueis, à quo captiui tenentur ad ipſius voluntatem*, 2. Timoth. 2. v. 26.

Melchioris Nicolai infirma obiectio de errore in moribus.

RESP. I. Ipſe clariſſimus contextus Matthæi demonſtrat Chriſtum voluiſſe dicere, abſolutè Eccleſiam fore inuictam in materia fidei. Cùm enim quæſiſſet ex Petro, *vos autem quem me eſſe dicitis? reſpondens Simon Petrus dixit; Tu es Chriſtus filius Dei viui: Reſpondens autem Jeſus dixit ei, Beatus es Simon, &c. & ego dico tibi, Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſùs eam.* Quibus verbis Chriſtus manifeſtè Petri fidem, fideíque tam promptam profeſſionem, quaſi peculiari priuilegio remuneraturus, Eccleſiæ, cui Petrus præfuturus erat, promittit firmitatem quandam inſuperabilem aduerſùs omnem vim diabolicam *in fide*. Cùm enim fides vera, ſit principium & radix ſalutis, ſimul & forma eſſentialis intrinſeca Eccleſiæ, ſummè & ante omnia fides eſt illi neceſſaria, *ſine qua eſt impoſſibile*

placere Deo. Hinc Ecclesia nullum vnquam errorem in fide apud suos tolerauit, sed *innummerabiles hæreses è suo cætu eiecit*, vt notat S. August. lib. de vera relig. cap. 5. idque *nonnunquam propter vnum verbum, aut duo, quæ fidei contraria sunt*, inquit S. Hieron. Apol. 3. contra Ruffinum; quæ tamen Ecclesia alia peccata subinde valde grauia tolerat, quando emendare non potest, teste eod. S. August. de fide & operibus, cap. 5. & contra Faustum, lib. 20. cap. 21. Promisit ergo Christus doctrinæ sanæ stabilitatem perpetuam Ecclesiæ vniuersali disertis verbis, qui non perinde illi promisit Vitæ integritatem perpetuam. Vnde longè est alia ratio fidei, quàm charitatis. Hinc etiam Matth. 23. v. 3. dixit Dominus, *super Cathedram Mosis sederunt scribæ & Pharisæi: omnia quæcunque dixerint vobis, facite, secundùm opera verò eorum nolite facere.* Ecce! quomodo non solùm adscribit Doctoribus firmitatem in tradenda fidei doctrina Christus, quam eis non adscribit in charitate, sed etiam apertè præmonet, posse fieri, vt ijdem Doctores benè doceant, & malè viuant.

Resp. II. Etiam falsum est, quòd vnquam diabolus omnes omninò fideles, adeóque totam vniuersalem Ecclesiam ad peccata contra charitatem, aliásque virtutes, pertraxerit. Semper enim aliqui in Ecclesia fuerunt & sunt, qui cum auxilio diuino ambulant

lantin ſanctitate & iuſtitia coram ipſo omnibus diebus vitæ ſuæ, ita vt lethaliter ſaltem non delinquant. Nam per venialia peccata non fiunt ſerui diaboli: quo reſponſo eneruantur omnes ſententiæ à Melchiore allegatæ.

Diuunt III. Hæc verba Chriſti, *Portæ inferi, &c.* eſſe quidem abſolutè intelligenda, ſed ſolùm de *Eccleſia Electorum* ſeu *prædeſtinatorum*. Ita Petrus Molinæus in Nouit. Papiſmi, Germ. edit. VVeſel. fol. 40.

Resp. Si velit Molinæus iſtam promiſſionem eſſe intelligendam ſolùm de Eccleſia inuiſibili (quam communiter proteſtantes vocant *Eccleſiam Electorum*, & diſtinguunt ab Eccleſia viſibili *Vocatorum*, tunc fallum dicit: quia fictitiam eſſe iſtam diſtinctam Eccleſiam, quam nemo horum nouit, nec vidit, jam ſuperiùs planum fecimus. Electi enim iſti vel profitentur Chriſtum coram alijs, vel non. Si non; non ſunt electi: Sin ita: non ſunt occulti & incogniti, ſed in Eccleſia viſibili cum alijs veram fidei doctrinam ſequuntur, adeóque ſunt noti. Si autem velit dicere Eccleſiæ viſibili quidem conuenire hanc firmitatem, vt *portæ inferi non prævaleant aduerſus eam*, attamen propter electos, & ratione electorum: idem dicit, quod nos. Non enim negamus, quin hoc attributum infallibilitatis conueniat Eccleſiæ potiſſimùm pro-

pter electos & ratione electorum; non tamen hinc rectè inferas; Ergo non conuenit Ecclesiæ visibili, sed inuisibili; sicuti non rectè inferres: Homo est rationalis, propter inuisibilem animam; ergo rationalitas non conuenit homini visibili.

EFFUGIUM III.

Contra illud, Ioan. 14. v. 16. Alium paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum, Spiritum Veritatis, &c.

DIcunt I. Illa promissio non est facta toti Ecclesiæ, sed solis Apostolis, in quibus jam est impleta. Ergo &c.

Finis, ob quem Christus promisit Ecclesiæ Spiritum veritatis, durabit vsque ad consummationem sæculi: durabit ergo etiam infallibilitas.

RESP. I. Negando antecedens. Non enim dixisset Christus (*in æternum*) si ad solos Apostolos promissio illa pertinuisset: sciebat enim Apostolos in hoc Mundo non victuros *in æternum*. Igitur & ad posteros illorum est locutus.

II. Eadem *finalis causa*, ob quam Spiritum veritatis promisit Christus Apostolis, duratura erat in Ecclesia, etiam post Apostolorum tempora, vsque ad finem Mundi; nempe ne errantibus omnibus Doctoribus, tota Ecclesia inducatur in errorẽ. Sicut ergo in principio Ecclesiam non voluit Christus relinquere sine adiutorio infallibili in fide,

ita

ita nõ est credibile ipsum voluisse eandẽ deserere in medio suæ durationis, & in extremo, quando Ecclesia quàm maximè ab hostibus veritatis impugnabitur, proinde promissionem illam non ad solos Apostolos restrinxit, sed ad totam eorum posteritatem, saltem in communi, extendit.

III. Confirmatur ex alijs promissionibus eâdem de causâ factis; ex quibus, tanquam clarioribus, iste locus Ioannis potest explicari, vt Matth. vlt. v. 20. *Ego vobiscum sum omnibus diebus, vsq; ad consummationem sæculi.* & Ephes. 4. v. 13. *Donec occurramus omnes in vnitatem fidei, &c.* quibus locis assistentia diuina toti Ecclesiæ vsque ad finem Mundi absolutè & indubitatè promittitur.

Obijcit Ioan. Gerardus in Confess. Cath. p. 2. cap. 10. fol. 519. *Quintuplex Obiectio Ioannis Gerardi.*

I. Illa promissio locum habuit in Apostolis non solùm coniunctis, sed etiam segregatis: quia quæ Apostolorum quilibet seorsim docuit, vel scripsit, omnia sunt verâ, & à Spiritu S. profecta, imò αὐτόπιστα & θεόπνευστα ac infallibilia. Quod si ergo promissionẽ absolutè, & sine vlla conditione ad Apostolorum successores, id est, Episcopos referre velint, concedendum erit, Episcopos etiam segregatos non posse errare. At hoc consequens Pontificij non admittunt. Singuli Episcopi errare possunt, inquit Bellarminus hoc ipso cap. 5. ex his. II. Pro-

II. Promissio illa non soli Petro, sed omnibus Apostolis est facta. Cùm ergo ex hypothesi Pontificiorum, Rom. Pontifex sit successor Petri, Episcopi Apostolorũ successores, consequens fuerit, non vni & soli Pontifici infallibilitatis priuilegium competere, sed omnibus omninò Episcopis. At consequens non admittit Bellarminus, lib. 4. de Rom. Pont. cap. 3. §. Respondent posse.

III. Maldonatus quoque in hunc lib. illud *in æternum* sic explicat, vt maneat vobiscũ in æternum, hoc est, quamdiu hîc viuitis in his terris: nam de futura vita non agitur. Stante hâc explicatione, dictum Christi ad solos Apostolos refertur.

IV. S. Thomas, 1. 2. q. 106. art. 4. ad 2. dictum Christi accipit de illa tantùm veritate, quæ est necessaria ad salutem. Iam verò erroribus non pugnantibus cum fundamento, electi absque salutis iactura inuolui possunt. Ergo in his verbis non continetur absoluta infallibilitatis promissio, quatenus ea ad totam Ecclesiam accommodantur.

V. Salmero Tomo 9. tract. 69. non incongruam dicit expositionem, si quis per veritatem Christum ipsum intelligat. At ex hac expositione priuilegium non errandi haudquaquam poterit exsculpi, cùm multi ad Christum conuertantur, qui tamen in errores damnabiles postea incidunt.

RESPON-

RESPONDEO. Ad I. Negando conſequentiam. Quia Apoſtoli duplicem habuerunt poteſtatem; PRIMÒ *Extraordinariam*, ſeu propriam, quà erant Apoſtoli, ac ſingulariter miſſi, quæ in hoc conſiſtebat, quòd vnuſquiſque eorum, vbique terrarum, nullo certo adſtrictus loco, abſolutè & perfectè potuit exercere Apoſtolatum ſibi immediatè à Chriſto commiſſum, reſpectu cæterorum Chriſtianorum, non tamen reſpectu ad ſe inuicem, nec quoad regimen ſupremum totius Eccleſiæ, quod ad ſolum S. Petrum pertinebat, de quo poſtea ad obiect. 2. Et hæc poteſtas Apoſtolica, quia Apoſtolis, vt à Chriſto ſpecialiter legatis, eſt extraordinariè tradita, non tranſijt ad ſucceſſores Apoſtolorum, ſed cum ijs eſt finita. Legatio enim finitur in Legato. SECVNDÒ *Ordinariam*, quà erant *Paſtores*, & *Doctores*, vt obſeruauit etiam Caluinus, lib. 4. Inſtit. cap. 3. n. 4. ſuper illa verba ad Epheſ. 4. *quoſdam dedit Apoſtolos, quoſdam Prophetas, alios autem Euangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores, &c. Ex his omnibus* (inquit Caluinus) *duo tantùm vltimi Ordinarium in Eccleſia munus, habent.* Idem affirmat Beza in Confeſs. fid. c. 18. §. *Et quidem*, & §. *Porrò*. Et hanc *Ordinariam* poteſtatem perpetuò duraturam, nempe *prædicandi* Verbum Dei, & *adminiſtrandi* Sacramenta, habuerunt Apoſtoli, præter Apoſtolatûs dignitatem, vt nempe eſſent

Apoſtoli duplicem habuêre poteſtatem: Extraordinariam & Ordinariam: hæc ad ſucceſſores tranſitura erat: illa non item.

essent Pastores & Doctores particulares Ecclesiarum illarum, in quibus suas sedes fixerunt. Sic Iacobus Hierosolymorum Episcopus seu Pastor, sic Ioannes Ephesi fuit, quibus deinde alij & alij successerunt, cum potestate ordinaria, &c.

Apostoli quâ ratione fuerint infallibiles.

Itaque ad obiectionem respondendo, concedimus Apostolos etiam segregatos, fuisse infallibiles, sed intuitu sui Apostolatûs, & quà Apostoli, ac potestate *extraordinariâ*, ad posteros non transiturâ prædiți; non autem præcisè ratione Pastoralis & Doctoralis officij, quod velut ordinarium poterant etiam in successores deriuare, & hi in alios. Quare fuit illud Apostolorum, tanquam primorum Ecclesiæ Architectorum peculiare priuilegium, vt omnia, quæ quilibet illorum seorsim docuit, vel scripsit, vera, & infallibilia essent, ad solida Ecclesiæ fundamenta in toto Mundo iacienda; quod priuilegiũ cum Apostolis expirauit. Vnde id non habet locum in singulis particularibus posterioribus Episcopis.

Quia tamen etiam disertissimè Saluator Apostolis dixit, *Vobiscum sum omnibus diebus, vsq; ad consummationem sæculi*, licet Apostoli non essent per se in propria persona eò vsque vitam propagaturi; & S. Paulus clarissimè quoque ait, *Pastores & Doctores Ecclesiæ esse datos, ne populus circumueniatur erroribus, donec occurramus omnes*, id est, vsque ad finem Mundi,

di, Epheſ. 4. v. 11. euidenter profectò ſequitur, ſi non ſingulis Doctoribus & Paſtoribus relicta eſt hæc infallibilitatis Apoſtolicæ gratia; eam ita ſaltem relictã eſſe cõmunitati fidelium, vt nunquam tota Eccleſia, & omnes ſimul ſint erraturi in fide.

Poteſt aliquid conuenire toti, quod non conuenit ſingulis partibus ſeorſim.

Neque tamen hinc rectè infertur: Tota Eccleſia eſt infallibilis; ergo etiam omnes & ſingulæ partes ſunt infallibiles: quia ſæpè aliquid tribuitur toti, quod non poteſt tribui in ſe ſingulis partibus, vt ſuperiùs exemplo oſtendi. Ius gladij in maleficos, competit toti communitati, non tamen ſingulis priuatis ex communitate. An non etiam quotidie in Mundo pereunt multarum rerum & ſpecierum indiuidua? & tamen nec Mundus, nec rerum ſpecies pereunt. Sic nec corpus totum Eccleſiæ errare dicendum eſt, licet frequenter aliqui deſerant veritatem.

Equidem totum Eccleſiæ corpus habet Aſſiſtentiam Spiritus S. & eſt infallibile in fide, ſed iuxta ordinem totius corporis, & ſeruatâ proportione ſingulorum membrorum: Sicut igitur in corpore naturali totus quidem homo videt, audit, intelligit, vult, ſed *denominatiuè*, non *ſubjectiuè*: quippe qui tantùm per aliquas ſuas partes & organa, functiones iſtas exercet, non autem per quamlibet, nec in omnibus ſimul; Et ſicut in corpore politico, Reſpublica dicitur fortis, prudens, iuſta,

Eccleſia tota eſt infallibilis de nominatiuè, *non* ſubjectiuè.

ſta, & opulenta, non *ſubjectiuè* ſecundùm omnes ſuas partes (ſunt enim in ea quoque aliqui infirmi, imprudentes, iniuſti & pauperes) ſed ratione quarundam præcipuarum partium ; ſic in corpore myſtico, Eccleſia tota eſt ſtabilis, firma & inuincibilis in fide, non *ſubjectiuè*, ſed *denominatiuè*, ſeruato ſingulorum membrorum ordine & modo : teſte Apoſtolo ad Rom. 12. *Sicut in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent : ita multi vnum Corpus ſumus in Chriſto, ſinguli autem alter alterius membra. Habentes autem donationes ſecundùm gratiam, quæ data eſt nobis, differentes, ſiue prophetiam, &c.* Idem, repetit 1. Corinth. 12. v. 4. & ſeqq. & ad Epheſ. 4. v. 7. vnde alijs in Eccleſia data eſt aſſiſtentia Spiritûs S. ad docendũ ſapienter, alijs ad credendũ humiliter, alijs ad obediendum Euangelio fortiter, &c. & hæc eſt *menſura donationis Chriſti, ſecundùm quam cuiq; noſtrûm data eſt gratia.* Epheſ. 4.

Ad II. Etiam negatur conſequentia. Dixi enim antea, Apoſtolos, quà Apoſtolos, habuiſſe *extraordinariam* poteſtatem, quæ non tranſijt ad eorum ſucceſſores, vt fatetur Caluinus ſupr. cit. cui conſentit Petrus Molinæus in Nouitate Bapiſmi, fol. 262. Ger. §. wir geſtehen, vbi ait *Succeſſores Apoſtolorum non ſucceſſiſſe illis in Apoſtolatu, ſed ſolùm in Epiſcopatu.* Excipio tamen ſemper Principem Apoſtolo-

rum

rum S. Petrum, in quo potestas Apostolica quoad gubernationem vniuersalem Ecclesiæ fuit Ordinaria; eò quòd specialiter Christus illum constituerit *Vicarium* suum in terris, illíque supremum regimen (*ministeriale*) singulariter commiserit, Matth. 16. v. 18. *super hanc Petram, &c. Tibi dabo claues regni cœlorum, &c.* & Ioan. vlt. *Pasce oues meas.* Quod officium etiam ad successores S. Petri deuoluitur. Vnde Orthodoxa Antiquitas semper Romanum Episcopatum etiam *Apostolicam Sedem, Sedem Petri, &c.* nuncupare solebat. Sic Damasi Papæ sedem, vocat Hieronymus *Cathedram Petri*, in epist. ad eundem. *Ecclesiam Petri* vocat Romanam Arnobius in psal. 106. Cornelij Papæ Sedem vocat *Cathedram Petri & Ecclesiam Principalem*, Cyprianus, lib. 1. epist. 3. & locum Fabiani, Rom. Pontif. vocat *Locum Petri*, lib. 4. epist. 2. Optatus, lib. 2. sic scribit: *Negare non potes, scire te, in Vrbe Roma Petro primo Cathedram Episcopalem esse collatam, in qua sederet omnium Apostolorum Caput Petrus.* Hanc etiam ob causam Romanæ Ecclesiæ successionem ab ipso Petro, primo eius Ecclesiæ Episcopo, omnes Veteres deducunt, quotquot illam successionem describunt: vt Irenæus, lib. 3. cap. 3. Tertull. in lib. de præscript. Augustinus, Epist. 166. Optatus, lib. 2. Epiphanius, hæresi 27. contra Carpocratianos, Eusebius, lib. 3. cap. 4. &c.

Excipitur S. Petrus, in quo potestas Apostolica fuit aliquo modo Ordinaria.

Apostolatus autem tria comprehendit. 1. Vt qui Apostolus est, sit immediatè ab ipso Deo doctus, & scribere sacros libros possit. Hoc in omnibus Apostolis extraordinarium fuit. 2. Vt Ecclesias constituat in toto Mundo, & fidem propaget in ijs locis, vbi nunquam fuit. & hoc dicimus ex Apostolatu S. Petri transijsse etiam ad Successores illius, quia illi Ordinarium fuit. 3. Vt summam habeat in omnem Ecclesiam potestatem, & hæc potestas quoque in S. Petro Ordinaria fuit; proinde etiam competit successoribus, vt rectè Bellarminus, loco cit.

Dices, vnde ergo habet Rom. Pontifex infallibilitatem? RESP. Luc. 22. v. 32. dixit Dominus Petro: *Ego autem rogani pro te, vt non deficiat fides tua; & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* qui vtique non preces fudit irritas, *sed exauditus est pro sua reuerentia*, quod SS. Cyprianus, Hieronymus & alij Patres intellexerunt non solùm de persona Petri, sed etiam de successoribus illius, quoad publicum iudicium in dubijs fidei. Cùm enim sæpè in Ecclesia oriantur controuersiæ de rebus ad salutem pertinentibus, quæ ad Concilium generale vel nunquam referuntur, vel referri rariùs possunt, necesse est ad finiendas has lites esse aliquẽ iudicem. Quis autem meliori iure sit, quàm qui primarius est Pastor, & S. Petri Successor ac *Vicarius* Christi?

Christi? cuius fides nunquam deficiet; cui oues omnes obedire debent in rebus fidei, ad vitandum schisma, & seruandam Ecclesiæ vnitatem. Qui si errare in his posset, tota Ecclesia induceretur in errorem, contra tot diuinas promissiones, suprà allegatas.

Ad III. Maldonatus corruptè citatur à Gerardo. Maldonati hæc verba sunt. *Illud (in æternum) tempus tantùm significat hujus vitæ; nam de futura vita non agitur.* Hoc longè aliud est, quàm quod Maldonato fraudulenter Gerardus affingit, & quidem distincto charactere, quasi dicat Maldonatus, vt maneat vobiscum in æternum, *hoc est, quamdiu hîc viuitis in terris:* quod non dicit Maldonatus, qui accipit *tempus huius vitæ* pro tempore huius sæculi, phrasi Hebraicâ, quod duraturum est vsque ad consummationem Mundi; & opponit tempori futuri sæculi in altera vita, post finem huius Mundi. Gerardus autem tempus huius vitæ accipit solùm pro tempore vitæ ipsorum Apostolorum, quod non potest tribui Maldonato sine iniuria.

Ioan. Gerardus Maldonatum falsò allegat, eique facit iniuriam.

Ad IV. Quod S. Thomas dicit, & nos dicimus, nempe Christum de illa veritate locutum, quæ est necessaria ad salutem. Quod autem subnectit Gerardus de *erroribus non pugnantibus cum fundamento, quibus electi absq; jactura salutis inuolui possint*, est iterum nebula ad decipiendos oculos offusa; & ænigma,

Nunquàm hucusque conuenerunt Protestantes de omnibus articulis cr[illegible]

fundamento pugnantibus.

quod nunquam adhuc soluerunt Protestantes; quia nunquam adhuc inter se conuenire potuerunt, quinam sint errores cum fundamento pugnantes, qui non pugnantes? Aliqui enim illorum fundamentalem doctrinam vocant, omnia, quæ in sacris litteris comprehenduntur: alij ad Decalogum, & articulos omnes Symboli restringunt: alij non in omnibus, sed in certis tantùm articulis Symboli constituunt: alij in solo articulo de iustificatione contineri docent: & sic alij plures, alij pauciores, alij alios ac diuersos, & nonnunquam contrarios ponunt, vt videre est in Irenico Paræi, cap. 4. vbi in Colloquio Euangelicorum, quod instituì suadet, primò omnium hanc quæstionem discutiendam & decidendam affirmat, nempè, *Quinam sint fundamentales articuli, qui non?* At quis credat Lutheranos in hoc cum Reformatis vnquam consensuros? Cùm enim huius quæstionis decisio nusquam in SS. Litteris contineatur, quas ipsi diuersissimis modis intelligunt ac interpretantur, citiùs circulum cum quadrato, quàm istos componas, vt videre est ex scriptis, quæ VVirtenbergici & Saxonici Theologi, Paræi Irenico opposuerunt; sed quàm maximè ex *Calumnismo irreconciliabili* Ioan. Hülsemanni.

Deinde si omnes fundamentales articuli ad salutem necessarij sunt in Symbolo Apostolico

ſtolico contenti, ſequitur non eſſe ad ſalutem neceſſarium credere Euangelium Matthæi, Marci, Lucæ, Ioannis, item Epiſtolas S. pauli, & alias Scripturas noui Teſtamenti eſſe Canonicas: quia Symbolum nuſquam dicit vllam eſſe in rerum natura ſacram Scripturam, aut quod ſit, creditu ad ſalutem neceſſarium, aliquam eſſe: ſicuti ſine hac fide multi ſaluati ſunt, antequam noui Teſtamenti libri ſcriberentur, vt etiam teſtatur S. Irenæus, lib. 3. cap. 4. Quomodo ergo ex iſtis ſcripturis dictam quæſtionem decîdent?

Accedit ſumma inter Proteſtantes omnes inconſtantia, quam tunc maximè produnt, quando affectibus contrarijs exagitantur. Quotieſcunq; enim Eccleſiæ Catholicæ Rom. dogmata & ritus oppugnant, nihil ferè tam minutum eſt, quod non vehementiſſimè exaggerent; quod non blaſphemum, impium, idololatricum, ſuperſtitioſum, Antichriſtianum, & vel abrogandum, vel reformandum clamitent. Quoties verò ſuas inter ſe diſſenſiones tegere volunt, & pacificationem, ac ſyncretiſmum cum Lutheranis moliuntur, tunc eadem illa extenuant, & veluti ſtipulas & paleas, ac næuos tolerabiles excuſant, quæ in Eccleſia Romana, vt capitales, & fundamentum ipſum ſalutis euertentes errores acerbiſſimè inſectantur.

Vnde manifeſtum eſt, friuolam omninò

Friuola distinctio Gerardi.

esse illam distinctionem Gerard. de *erroribus cum fundamento salutis non pugnantibus, quibus Electi absq; jactura salutis inuolui possint.* Quasi verò cum fundamento non pugnet, & saluti aduersetur, si quis Deo aliquid, quodcunque illud sit, dicenti nolit credere; nam qui vel vnica in re diuino verbo fidem abnuit, ille errat cum iactura suæ salutis; quia Deum fallacem, seu mendacem facit, quod est impium.

Etiam Salmeron non bonâ fide citatur à Gerardo.

Ad V. Salmeron quoque non bonâ fide, sed mutilè à Gerardo allegatur. Hæc enim sunt Salmeronis verba. *Quod ergo hîc promissum fuit Apostolis, quia personale non fuit, toti simul Ecclesiæ Dominus est pollicitus. Quod maximè consolari debet in omni pullulantium hæreticorum prouentu: quia conterentur tandem à Spiritu S. ducente Ecclesiam in omnem suo tempore ac loco veritatem. Sicut enim Christus, cùm dixit, Ecce ego vobiscũ, &c. non solos Apostolos allocutus fuit, sed omnes eorum, qui futuri sunt vsq; ad finem sæculi fidei successores; Sic Spiritus S. docet vos Apostolos cum omni posteritate vestra in omnem veritatem* necessariam. *Nam alia aliis temporibus reuelantur, modò prioribus veritatibus non dissentiant.* Quibus verbis Salmeron nostram sententiam clarissimè confirmat. Postea hæc addit. *Non incongruè aliquis exponeret. Ducet in omnem veritatem, id est, in totum Jesum, qui veritas est, vt ipse dixit, enisque cognitio vita æterna*

na est: In ipso enim sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ abscondit. Itáq; veritatem opponit fictioni, hypocrisi, & mendacio, quæ in Mundi regno dominantur, aut vmbris & figuris, quæ in lege erant, & veritati humanarum disciplinarum, quæ ad salutem non faciunt, & quæ Spiritu S. Magistro non indigent, cùm suos particulares habeant Magistros. Hæc Salmeron. Quid, obsecro, in his est, quod Gerardo contra nos patrocinetur? Nihil penitùs. Si enim Spiritus S. Ecclesiam JESVM totum docet, in quo est omnis veritas nobis scitu ad salutem necessaria, & hoc facit *in æternum*, id est, vsque ad finem Mundi, quis dubitet, quin Ecclesia ab omni etrore saluti nostræ noctituro sit futura libera & immunis? quia si vel in vnicum errorem saluti contrarium permitteret Ecclesiam labi, non doceret omnem veritatem, nec Jesum totum.

EFFUGIUM IV.

Contra illud, Epheſ. 1. v. 22. c. 4. v. 4. cap. 5. v. 23. Eccleſia eſt Corpus Chriſti, & Sponſa, & *gubernatur à Chriſto tanquam* à Capite. *Si ergo erraret, ipſi Chriſto error eſſet tribuendus; quod abſurdum.*

Ioannis Gerardi effugium.

VIm etiam huius argumenti conatur effugere Ioannes Gerardus, fol. 538. hâc ratione. *Quælibet particularis Eccleſia eſt Chriſti Corpus, & Sponſa; imò quiuis verè fidelium eſt Corporis Chriſti membrum, & Chriſti Sponſa, & gubernatur à Chriſto tanquam à Capite & Sponſo ſuo. Si ergo ex hoc principio abſoluta infallibilitas Eccleſiæ probatur, nulla erit particularis Eccleſia, nullus fidelium, de quo non etiam eadem probetur.*

Rectiſſimè Catholici probant Eccleſiam eſſe infallibilem, ex eo, quòd ſit Corpus Chriſti, Chriſtus verò illius

RESP. Rectiſſimè Catholici cùm Bellarmino, lib. 3. de Eccleſ. cap. 14. ex eo probant, Eccleſiam errare non poſſe, quòd illa ſit Corpus Chriſti, ipſe verò *Caput* ipſius, ad Epheſ. 1. Nec tamen hinc ſequitur, etiam ſingulos fideles eſſe infallibiles, & errare non poſſe. Hoc eſt enim argumentum à ſenſu compoſito ad diuiſum, quod vitioſum. Ratio. Quia influentia illa infallibilitatis, quam accipit Corpus Chriſti à Capite, non habet neceſſariam connexionem & habitudinem,

ex Dei

ex Dei lege, cum singulis fidelium, sicuti habet cum tota Ecclesia; nisi quatenus aliquos Deus specialiter in fide consolidare vult, sicuti voluit Apostolos. Ergo licet tota Ecclesia errare non possit, non tamen consequens est, nullum fidelium errare posse. Immunitas enim non errandi, promissa est toti Ecclesiæ, non singulis fidelibus. *Caput, Spon-sa, &c.*

Exemplo declaro. Ponamus animam, quæ est actus totius Corporis physici, habentis diuersa membra, necessariò esse in corpore, & ab eo separari non posse, non tamen inde necessariò sequitur, ipsam informare quodlibet membrum: quia illud non est proprium, & primum susceptiuum animæ, sed totum corpus. Ita Christus, qui est Caput Ecclesiæ, viuificat per suum influxum Corpus Ecclesiæ, quod primò & per se, & necessariò respicit; singula autem membra non necessariò; ideo potest à singulis separari; vti benè obseruat Dominicus Bannes in 2. 2. q. 1. art. 10. dub. 3. §. *pro maiori.*

Videmus quoque priuilegia quædam concedi Communitatibus, seu Ciuitatibus, quæ tamen non conceduntur singulis Communitatis illi⁹ membris seorsim; cuiusmodi est ius gladij in sceleratos: an ideo cuilibet ciuium concessum est, vt ipse in obuium quemuis vindicem scelerum ferro agat? de quo etiam supra monuimus.

Quod autem defectus, seu error in fide totius Ecclesiæ, esset tribuendus Christo, sic probatur. Christus Lucæ 10. v. 16. ait. *Qui vos audit, me audit, &c.* & Matth. 23. v. 3. *Quæcunque dixerint vobis, seruate & facite.* Hoc autem de singulis particularibus potest intelligi; quia fieri potest, vt aliqui aliquid dicant, quod non est seruandum & faciendum, si malum sit. Ergo necessariò debet respectu totius Ecclesiæ intelligi; vt nempe illud absolutè seruemus, & faciamus, quod tota Ecclesia dicit faciendum & seruandum: alioqui verba Christi essent prorsùs frustranea, nullius valoris, & gratis dicta, quod absurdum.

Vnde si tota Ecclesia erraret, error ille Christo Capiti illius adscribendus esset, qui iussit Ecclesiam audiri, non aliter, quàm si ipse loqueretur.

Ad illud de Sponsa, est etiam euidens nostra consequentia. 1. Quia tenetur sponsus suam sponsam tueri, defendere, & liberare ab omni grauiore malo, quantum potest; Ipse enim est Saluator corporis eius. ad Ephes. 5. v. 23. Et hoc exigit fides debita sponsæ à sponso, ob vnitatem, & maximam coniunctionem, quam erga se inuicem habent: sunt enim *duo in carne vna.* Ibid. v. 31. Atqui grauissimum malum est error in fide: Si nempe Ecclesia falsâ fide Deum colat, cùm præcipuè cultus diuinus in fide, spe, & charitate

tate consistat, teste S. Augustino in Enchiridio, cap. 3. Certè *qui suam vxorem diligit*, ait Paulus, *se ipsum diligit*, Ephes. 5. v. 28. Quilibet autem tenetur se ipsum ab errore custodire. Ergo Christus tenetur quoque Ecclesiam ab huiusmodi errore seruare illæsam, cùm id non solùm per suam gratiam facillimè possit; sed etiam hoc se facturum promiserit: *Sponsabo te* (inquit Oseæ 2. v. 19.) *mihi in sempiternum: & sponsabo te mihi in iustitia, & iudicio, & in misericordia & in miserationibus; & sponsabo te mihi in fide*; id est, integritate fidei. Ergo Ecclesia, ex singulari Dei fauore, misericordia, promissione, & sponsalitio debito semper habebit & retinebit veram fidem, nec vnquam errores vllos admittet. Quæ omnia cùm intelligi non possint de qualibet fideli anima in indiuiduo, nec de quacunque particulari Ecclesia, debent necessariò Ecclesiæ vniuersali conuenire.

11. Ipsi Aduersarij concedere coguntur, à sancto Paulo ad Ephes. 5. à v. 22. vsque ad finem, comparationem instituisse inter coniugium Christi cum Ecclesia, & inter coniugium viri cum vxore, *magnúmue Sacramentum* vocari, & in exemplum Christianis coniugibus proponi ad imitandum, vt nempe vir sic diligat vxorem, sicut Christus Ecclesiam, & vxor viro subjecta sit, sicut Ecclesia Christo, in studio sanctitatis, & puritatis sine macula & ruga,

Mayffartus inaniter oppugnat Becanum.

& ruga. Si autem Ecclesia in fide errare posset, & tot sæculis fædissimè per superstitiosum cultum, idololatriam, & nefarium Antichristianismum errâsset, vt dicunt aduersarij, valdè præposterè, imò ineptè Apostolus hortatus fuisset fideles coniuges ad Ecclesiæ tam perfidæ, tam impiæ, támque flagitiosæ imitationem, exemplúmque illis commendâsset magis detestandum, quàm sequendum.

Sed INSTAT Mayffartus contra Becanum, fol. 322. & seq. l. *Maritus* (inquit) *indissolubili vinculo coniunxit sibi vxorem*, Matt. 19. v. 6. *nihilominus vxor separari potest iuxta Salvatorem*. v. 9. Quare non sequitur: *Christus sibi indissolubili vinculo Ecclesiam tanquam sponsam coniunxit: Ergo abillo separari nequit; adeóque etiam nequit errare. Sic major vera est, minor falsa. 1. Quia nulla potest afferri authorias ex Scripturis de indissolubili vinculo, quo se Ecclesiæ visibili Christus coniunxerit. In dicto prophetico offert Ecclesiæ visibili perpetuum amorem, sed quòd Ecclesia visibilis perpetuò maneat Christo vnita propter vinculum indissolubile, inibi non dicitur. 2. Est fallacia æquiuocationis. Vinculum, quo Christus Ecclesiæ visibili se coniunxit, indissolubile dicitur, non quòd actu nunquam dissoluatur, sed quòd. vti Christus fidelis est, à parte Ecclesiæ iure dissolui non debeat. Christus enim nullibi absoluiè & penitus indissolubili vinculo, quidquid etiam Ecclesia agat, se obstrinxit.*

11. Fol. 325. *Ecclesia quidem est norma fidelitatis & subjectionis, (cui mulieres se conformare debent) quamdiu permanet in eo, quod promisit, cui mulieres conformare se debent. Et huc vsq; Apostolus rectè mulieribus inculcat exemplum Ecclesiæ. Ast quando visibilis Ecclesia deficit à suo sponso, amplius mulieribus exemplo non est, &c. Quando verò Cyprianus ait Ecclesiam adulterari non posse, de Ecclesia Electorum loquitur, quæ verè sponsa Christi est.*

De indissolubilitate matrimonij.

RESP. ad I. *Instantiam* Mayffarti esse nullam, & falso nixam fundamento. Falsum enim est vxorem à viro separari posse simpliciter, & *quoad vinculum substantiale*; si enim aliquando separatur ex legitima causa, id *quoad thorũ* fit tantùm, *& cohabitationem*; quæ est separatio tantùm secundùm quid. Ita semper docuit, & in praxi exercuit Orthodoxa Ecclesia: neque vnquam aliud tradidit Saluator; qui Matth. 19. v. 9. non loquitur de *dissolubilitate* matrimonij quoad *vinculum substantiale*, sed solùm quoad *thorum & cohabitationem*; quod ex antegressis ibid. clarioribus & indubitatis Christi verbis demonstramus, qui v. 6. sine vlla exceptione, vniuersalissimè dicit, *Quod Deus coniunxit, homo non separet*; quod de separatione substantiali est intelligendum. Sed Deus coniunxit etiam duos illos coniuges, quorum alter deinde fit adulter. Ergo nulli hominum fas est eos separare,

re, quoad vinculum ſubſtantiale, licet quoad torum ſeparentur. Sic etiam, Marci 10. v. 11. dicitur abſolutè; *Quicunq; dimiſerit vxorem ſuam, & alteram ducit, mœchatur.* & Lucæ 16. v. 18. *Omnis, qui dimittit vxorem ſuam, & alteram ducit, mœchatur; & qui dimiſſam à viro ducit, mœchatur.* Concordat cum his Apoſtolus ad Rom. 7. v. 3. inquiens: *Viuente viro vocabitur adultera, ſi fuerit cum alio viro: Si autem mortuus eſt vir ejus, liberata eſt à lege viri.* & 1. Corinth. 7. v. 10. *ijs autem, qui matrimonio iuncti ſunt, præcipio non ego, ſed Dominus, vxorem à viro non diſcedere: quòd ſi diſceſſerit* (intellige, ob fornicationem) *manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari.* Vbi duo dicuntur: Vnum, quòd aliquando vxor licitè poſſit diſcedere, aut à viro dimitti ex legitima cauſa: Alterum, quòd etiam tunc, viro viuente, non poſſit alium virum accipere, ſed debeat vel manere innupta, vel viro reconciliari. Quòd autem Paulus non de illicita, ſed licitâ dimiſſione, ſeu diſceſſione loquatur, ex hoc euidens eſt, quòd liberũ facit, vt aut *maneat innupta, aut viro ſuo reconcilietur*; quod neutiquam feciſſet, ſi de illicita ſeparatione loquutus fuiſſet: Tunc enim tantùm poſteriori membro vſus fuiſſet; nempe quòd debeat reconciliari viro ſuo; cùm ſine legitima cauſa, nulli vxori conceſſum ſit, etiam à toro & conuictu ſui coniugis ſe diſiungere. Cùm

ergo

ergo verba Christi, Matth. 5. v. 32. dimissionem aliquam vxoris concedere videntur, dum ait (*nisi propter fornicationem*) æquum est, vt illa ex tot alijs apertissimis tam Saluatoris, quàm Apostoli sententijs (quibus absolutam indissolubilitatem Matrimonij quoad *vinculum & substantiam* asserunt) tantùm de dimissione & separatione *quoad torum & cohabitationem* explicentur, sicuti etiam explicauit S. Augustinus, lib. 1. de adulterin. coniugijs cap. 9. 11. 22. & lib. de bono coniug. cap. 7. 24.

Quòd si dicas, apud Catholicos plures esse causas, ob quas coniuges quoad torum & habitationem separantur, quàm fornicationem; cùm tamen Christus non meminerit, nisi fornicationis. RESP. I. Etiam apud aduersarios plures causas prætendi, ob quas diuortium absolutum admittunt; vt videre est apud Lutherum in c. 7. 1. ad Corinth. & Bucerũ in c. 19. Matth. II. Etiamsi Christus solùm *fornicationis* fecerit mentionẽ, non tamẽ negauit esse & alias causas, cuiusmodi est superueniens lepra, &c. Ideò autem Christus fornicationem, seu adulterium præ alijs nominauit: quia per se, disertè & peculiariter aduersatur matrimoniali pacto & societati: aliæ verò causæ possunt esse communes etiam alijs consociationibus humanis; & non proueniunt ex violata fide matrimonij; ideò dicuntur

cuntur cauſæ per accidens: de quo plura Laymán de matrimonij propriet, lib. 5. cap. 7.

Ex dictis per ſe corruit alterum aſſummentum Mayffarti, nullum ex ſcriptura afferri poſſe teſtimoniũ de indiſſolubili vinculo inter Chriſtum & viſibilem Eccleſiam. Sic enim argumentor. Ex ſcriptura probatum eſt vinculum matrimonij inter coniuges eſſe indiſſolubile. Sed tale vinculum eſſe inter Chriſtum & Eccleſiam, quale eſt inter coniuges, itidem ex ſcriptura probatum eſt. Ergo. Videatur Bellarminus de matrimonij Sacram. lib. 1. c. 16. 17.

Sed & illud friuolum eſt, Eccleſiam quidem *de iure* à Chriſto non debere ſeparari; *de facto* autem ab illo eſſe ſeparabilem. Nam contrarium demonſtratum eſt ex promiſſionibus diuinis prorſùs abſolutis: ex prouidentia & Bonitate Dei erga Eccleſiam; quam vult vſque ad finem Mundi conſeruare, vt ſemper illius viſibili miniſterio ſaluari queant, quicunque cupiunt ſaluari, & ex gentibus Chriſtum profiteri.

Et fruſtra obijcit Mayffartus toties protritum argumentum de Eccleſia V. T. quæ fuit tantùm vmbra & figura Eccleſiæ Chriſtianæ; ideò ceſſare debuit adueniente lumine & figurato.

EFFV-

EFFUGIUM V.

Contra illud Isaiæ, 59. v. 21.

HOc fœdus meum cum eis dicit Dominus. Spiritus meus, qui est in te, & verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore seminis tui, & de ore seminis seminis tui, dicit Dominus, amodò & vsq; in sempiternum. Ergo Ecclesia, cui hæc promissio facta est, nunquam errabit; alioqui Spiritus & verba Dei recederent de ore Ecclesiæ.

Obijcit iterum Ioannes Gerardus, lib. 1. Confess. Cathol. p. 2. c. 11. de Ecclesiæ infallibilitate, fol. 535. & sequentibus: *Coniungitur hoc loco* inquit, *verbum & promissio Spiritûs, quod etiam fit, Ioan. 8. v. 31. cap. 14. v. 26. cap. 15. v. 13. 14. c. 17. v. 17. Ergo Ecclesia eatenus & tamdiu Spiritum directorem habet, quatenus & quamdiu Verbum, quod est ministerium Spiritûs, audit, retinet, conseruat ac sequitur. Spiritus S. non immediatè, sed mediatè per Verbum Ecclesiam regit ac ducit. Proinde quatenus Ecclesia verbum sequitur, eatenus etiam à Spiritu S. ducitur ac regitur, & eatenus non errat.*

Quâ fide Ioannes Gerardus in sua Confessione Catholicos oppugnet.

RESP. I. Imprudenter Gerardus locum Isaiæ absolutissimum, explicat conditionatè, in quo nec vmbra est adjectæ conditionis. Quod autem Littera S. Scripturæ non habet,

non est illi sine grauissima causa affingendum: adhuc impudentiùs allegat locum S. Ioannis, cap. 8. v. 31. tùm quia ibi conditio per particulam SI apertè exprimitur, quæ neutiquam est apud Isaiam: tùm quia Christus apud Ioannem alloquitur expressè particulares Iudæos, non autem Ecclesiam vniuersalem, vt apud Isaiam. Hæc enim sunt verba Euangelistæ. *Dicebat ergo Iesus ad eos, qui crediderunt ei, Iudæos: Si vos manseritis in sermone meo, verè discipuli mei eritis*: id est, si meã doctrinam, meáque præcepta obseruaueritis constanter, & discipulorum meorum nomine, & præmio in cælo digni eritis. Quæ nihil repugnant visibilis Ecclesiæ infallibilitati: nec promissionem illi factam faciunt conditionatam.

Quando verò cap. 14. Ioan. v. 26. dicitur: *paracletus Spiritus vos docebit omnia.* & cap. 17. v. 17. *sanctifica eos in veritate, &c.* nulla prorsùs ibi continetur conditio. Nihil igitur ad rem. & prior quidem sententia potiùs nobis fauet: Si enim Spiritus S. docebit Ecclesiam omnia, quomodo vel in vnico illa errabit?

Illis verò verbis, cap. 15. v. 13. 14. *Vos amici mei estis, si feceritis quæ præcipio vobis*; continetur gnome, quâ Christus discipulos, & alios instruit, quâ ratione amici sui esse possint ac debeant, nempe per obseruationem mandatorum diuinorum. Sed neque hoc obstat

Eccle-

Ecclesiæ visibilis infallibilitati. Etsi enim fides vera sit fundamentum amicitiæ hominis cum Deo; non tamen ipsa sola facit amicum Dei, sed coniuncta cum charitate, & obseruantia præceptorum Dei.

Illa verò Gerardi: *Verbum est ministerium Spiritûs, &c.* sunt verba ad fallendum composita. Non enim video quid possit intelligere per *Verbum*, nisi *Verbum Dei Scriptum*, ex communi sensu protestantium, qui hoc nomine semper intelligunt Scripturam S. Si autem hoc dicit, planè errat: Quia falsum est, à Spiritu S. regi & duci Ecclesiam mediatè tantùm per Scripturam sacram; tùm quia præter Scripturam S. datur etiam Verbum Dei traditum, seu non scriptum, quod non minùs sequendum est, quàm scriptum; tùm quia Spiritus S. rexit & duxit Ecclesiam pluribus annis, antequam Scriptura noui Testamenti esset condita: teste S. Irenæo sæpè citato, tùm quia frustra alioqui dedisset Ecclesiæ, & vsque ad finem Mundi daturus esset *Doctores* & *Pastores*. ad Ephes. 4. v. 11. 12. Hoc enim *ministerio Doctorum*, Ecclesia carere non potest; vt supra ex ipsis Protestantibus demonstrauimus. Fides enim est *ex auditu: auditus per Verbum Christi:* intellige *prædicatum. Quomodo verò audient sine prædicante?* Rom. 10. v. 15. Ergo Deus Ecclesiam non regit mediatè, per *Verbum scriptum* tantùm, sed etiam per *traditum*.

Sed obijcit Gerardus etiam *ſainctium*, Commentario in hunc locum Iſaiæ, dicentem, hæc Prophetæ verba eſſe *præceptiuè* potiùs, quàm *promiſſiuè* accipienda; quia illud *(non recedent)* licet in *futuro* poſitum ſit, *tamen pro imperatiuo poſitum eſſe, quod in Scriptura S. obuium: ita vt non tam dicantur verba ab ore non receſſura, quàm præcipiatur, ne vllo recedant tempore à poſterorum ore, &c.*

Et addit Cornelium à Lapide in eundem locum cognoſcere, promitti hunc Spiritum ſingulis veris & viuis Eccleſiæ membris, &c. Vnde hîc licet concludere. *Si ex verbis Iſaiæ abſoluta infallibilitas Eccleſiæ euinci poſſet, conſequens foret, quodlibet verum & viuum Eccleſiæ membrum, id eſt, quemlibet iuſtum habere abſolutum infallibilitatis priuilegium. Poſterius Pontificij non admittunt: Ergo nec prius, &c.*

Resp. I. Hæc de præcepto coniectura *Sanctij*, ab Hæbreis deſumpta, non eſt ſolida, nec alijs promiſſionibus de Eccleſiæ futurâ perpetuitate & viſibilitate conſentanea, nec ab alijs Catholicis admiſſa: *Torquet enim vocem Spiritus*, & *enervat Oraculum de nouo* Teſtamento h.l. Cornelius à Lapidè. Auguſta Prophetæ verba auguſtius quid ſpectant, quod ex Iſaiæ 61. v. 9. clariſſimè cognoſcitur. *Dabo opus eorum in veritate, & fœdus perpetuum feriam eis. Et ſcient in gentibus ſemen eorum, & germen eorum in medio populorum: omnes qui viderint*

derint eos, cognoscent illos, quia isti sunt semen, cui benedixit Dominus. Quid obsecro euidentius, quàm hoc loco nullum esse præceptum, sed absolutissimam promissionem, qua continetur & perpetua visibilitas & infallibilitas Ecclesiæ. Quid enim est, *dabo opus eorum in veritate, nisi faciam* vt reipsâ veritas semper penes illos stet? Cùm ergo sit summa similitudo istorum duorum locorum Isaiæ inter se, ita vt posterior sit quasi repetitio & confirmatio prioris, ex cap. 59. nulla ratio nos sinit dubitare, quin sicut in posteriore continetur absoluta promissio & non præceptum, ita & in priore.

II. Si præceptum est, tunc vtique iusti *occultæ illius Ecclesiæ*, quam asserunt Protestantes, illud seruârunt: si autem seruârunt, fidem veram publicè professi sunt; quomodo fuerunt igitur occulti? si non professi, quomodo verba Dei *non recesserunt de ore eorum?* aut quomodo præceptum hoc seruârunt? aut quomodo iusti fuerunt? *His pedicis se exsoluat Gerardus.*

III. Cornelius de Lapide disertè dicit, hunc *Spiritum veritatis toti Ecclesiæ*, id est, *toti cœtui fidelium adres fidei definiendas, eiúsq; capiti Rom. Pontifici promitti, non autem singulis in ea personis.* Quando verò de iustis, veris & viuis Ecclesiæ membris ait, omnes quidem hoc Spiritu animari & viuere: & hunc Spiritum

cum iusto, quantum est ex parte Dei, manè-re in æternum, nisi ipse iustus sponte eum excutiat, loquitur de Spiritu sanctitatis, non de Spiritu veritatis. Igitur consequentia, quam Gerardus nectit, est nulla: quia manifestè hos Spiritus distinguit Cornelius.

IV. Quando verò Gerardus addit; vnum & eundem esse Spiritum veritatis & sanctitatis, id falsum est, quoad officium & operationem: neque quidquam probat ex duobus locis Ioannis, nempe, c. 14. v. 17. &, c. 16. v. 13. nam vtrobique Christus expressè loquitur tantùm de Spiritu veritatis; quem in priore loco bis ait, *mansurum* cum Apostolis *in aternum*; & posteriore loco, *docturum illos omnem veritatem*, & quæ ventura sunt, illis *annunciaturum*: hoc autem non est munus *Spiritus sanctitatis*, quà talis. Igitur ista testimonia imperitè, & potiùs contra se, quàm pro se, allegauit Gerardus.

EFFUGIUM. VI.

Contra illud, Dic Ecclesiæ: si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus. *Matth. 16.*

GErardus, fol. 537. Negat hinc probari rectè infallibilitatem Ecclesiæ vniuersalis. I. Quia ipse Bellarminus lib. 3.

lib. 3. de Ecclesia, c. 14. fatetur, agi hoc dicto de Ecclesia particulari, non autem de Ecclesia Catholica per totum Orbem diffusa, quæ est omnium locorum & temporum, eam enim nemo potest audire & de specialibus casibus eius iudicium rogare.

Idem Bellar. lib. 3. de Verbo Dei, cap. 5. Non potest fieri, vt peccantes deferantur ad Congregarionem omnium fidelium. Igitur nomine Ecclesiæ debet intelligi Prælatus, vt Chrysostomus, vel vt alij malunt, Prælatorum Congregatio.

Et lib. 1. de Rom. Pontif. c. 6. improbat eorum sententiam, qui ex hoc dicto colligere volunt, summum tribunal Ecclesiæ penes fidelium vniuersitatem esse constitutum, & Ecclesiæ nomine intelligendum esse Præsulem. Quòd si ergo ex hoc dicto absoluta Ecclesiæ infallibilitas euinci posset, consequens foret, nullam particularem Ecclesiam erroris periculo esse obnoxiam, quod Pontificij minimè concedunt.

II. Quia itidem Bellarminus lib. 3. de Verbo Dei, c. 5. fatetur, illic Dominum loqui de iniurijs, quas vnus ab alio patitur. Quòd si ergo absoluta Ecclesiæ infallibilitas ex his verbis probari posset, consequens foret, Ecclesiam in officio clauium & censuris Ecclesiasticis non errare. At hoc Pontificij non admittunt, vt superiùs ex Cap. à nobis. ext.

de sent. Excom. & Lombardo 4. sent. dist. 81. Litt. F. ostendimus, &c. Ita Gerardus.

RESP. I. In Bellarmino lib. 3. de Eccles. c. 14. illa verba non inueniri, quæ illi Gerardus falsò adscribit. Bellarminus solùm dicit, *Chrysostomum exponere illud, Dic Ecclesiæ, id est, Prælato.*

II. Etiam ex lib. 3. de Verbo Dei, cap. 5. truncatè Gerardus verba Bellarmini citat; qui sic loquitur: *Obseruandum, hîc quidem Dominum loqui de iniurijs, quas vnus ab aliquo patitur: sed à maiori intelligendum etiam esse de iniurijs, quæ fiunt in totam Ecclesiam, & in Deum, qualis est hæresis. Qui enim iubet deferri adulterum ad Ecclesiæ iudicium, multò magis hæreticum. Non autem potest fieri, vt deferantur ad Congregationem omnium fidelium. Igitur nomine Ecclesiæ debet intelligi Prælatus, vt Chrysostomus exponit, vel vt alij malunt, Prælatorum Congregatio. Vt enim homo non loquitur, neq; audit, nisi per Caput, & tamen totus homo dicitur loqui & audire; ita Ecclesia per suos Prælatos audit & loquitur. Si ergo qui Ecclesiam, id est, Ecclesiæ Pastores non audit, debet esse vt Ethnicus & publicanus, sequitur Pastorum esse vltimum iudicium.* Ita Bellarminus: Vnde est euidens, illum ex verbis Christi, *Dic Ecclesiæ, &c.* duntaxat consecutiuè & à minore ad maius argumentari: quod non est tantùm argumentum *per accommodationem*, vt perperam asserit Gerardus lib. 1.

pag. 2. cap. 3. fol. 329. sed talis consequentia, qualem faceres, si ex illo dicto Saluatoris de verbo otioso in examen apud Deum vocando inferres; ergo multò magis de mendacio, & de blasphemia Deo reddes rationem. Si enim Ecclesia in causa iniuriæ politicæ & particularis, inter te & proximum tuum, est necessariò audienda, quanto magis audienda est, quando oritur controuersia de fide, re omnium grauissima, quæ ipsum Deum, & Vniuersum corpus fidelium offendit? Et si singulares Prælati Ecclesiarum particularium indistinctè sumpti in causis moralibus tantâ pollent authoritate, vt qui illorum iudicio stare reculat, sit sicut Ethnicus habendus, multò magis in Religionis dissidio, obsequendum est iudicio Pastoris vniuersalis & Ecclesiæ totius, quæ repræsentatur per congregationem Prælatorum ex toto Orbe congregatorum. Cùm enim non possint omnes omninò fideles in vnum locum conuenire ad iudicandum; rectissimè ait Bellarminus, lib. 1. de Rom. Pontif. c. 6. summum Ecclesiæ Tribunal non esse penes fidelium vniuersitatem, sed penes Prælatos vel eorum congregationem: ideò quando Christus dixit, *Dic Ecclesiæ, &c.* perinde esse ac si dixisset, *defer causam tuam ad publicum Ecclesiæ iudicium, id est, ad eos, qui publicam personam in Ecclesia gerunt*, cuiusmodi sunt Prælati, præsertim legi-

timè congregati. Facit enim Christus antithesin inter priuatam correptionem (dum ait, *inter te & illum solum*) & inter publicam dum ait, *Dic Ecclesiæ, &c.* nomen autem Ecclesiæ hic non significat multitudinem in se, sed virtute, id est, caput multitudinis : idque non sine exemplo Scripturæ. Sic enim *seniores populi* pro *vniuerso populo* accipiuntur, Exodi 4. Iosue 20. paralip. 13. Quando verò Bellarminus lib. 3. de Eccles. c. 17. circa finem ait, *Vnam personam non posse dici Ecclesiam*, vt obijcit Gerardus paulò ante citatus. *Resp.* Bellarminum loqui de Ecclesia in se, & in vulgari sensu, non de Ecclesia *Virtute*.

Etsi verò non negemus, Ecclesias & Prælatos particulares in censuris Ecclesiasticis, imò & in fide seorsim spectatos errare posse, non tamen sequitur, eiusmodi errorem quoque in Ecclesiam vniuersalem cadere, cuius rei causam sæpiùs jam assignauimus.

EFFUGIUM. VII.

Contra illa verba Pauli ad Ephes. 4. v. 11. & seqq. Dedit quosdam Apostolos, &c. *&*, Donec occurramus omnes, &c.

EX hac enim sententia Pauli, præsertim ex particula *Donec, &c.* vrgent Catholici visibilitatem & infallibilitatem perpetuam

petuam Ecclesiæ; eò quòd ibi promittatur nunquam defuturos Doctores & Pastores, qui ab errore populum defendant, vsque ad finem Mundi, quando erit consummatio, *omnésq; nos occurremus in vnitatem fidei, in virum perfectum, &c.*

Huic opponit Brochmandus contra spe- *Oppositio Broch. mandi.*
culum Brandeb. parte 3. c. 2. memb. 2. f. 514. 515. sequentia.

I. Apostolum non dicere, quòd Christus, qui Apostolos, Euangelistas & Prophetas dedit, etiam post eorum obitum futuro tempore, Pastores & Doctores dabit: sed loqui solùm de varijs gradibus sacri Ministerij, prout eo tempore erant in Ecclesia Dei, cùm hæc ab Apostolo scripta essent. Hoc posito corruere omnia, quæ de futura successione & perpetuitate Doctorũ incorruptorum Pontificij ingerant.

II. *Si quæras*, quomodo Apostoli, Euan- *Effu-*
gelistæ, &c. qui primitiuæ Ecclesiæ dati sunt, *gium Ge-*
& jam mortui, possint regere Ecclesiam, *DO- rardi.*
NEC omnes, &c. *Respondet* Brochmandus. Non alia de causa hoc ab S. Paulo dici, nisi vt sciamus, Deum velle, vt futuris temporibus Doctores & Pastores Ecclesiæ, Apostolorum & Euangelistarum doctrinæ sese conforment, inde veritatem mutuentur, & diligentem dent operam, ne quid aliud populo proponant; ita vt Doctores primæ Ecclesiæ pro

regula

regula habendi & sequendi sint à Doctoribus posterioris Ecclesiæ, sine mutatione, sic enim Paulum ad Ephes. 2. 19. 20. dicere: *Estis cives sanctorum, & domestici Dei, ædificati supra fundamentum Apostolorum & Prophetarum.* & Apocal. 21. v. 14. *Et murus civitatis habens fundamenta duodecim, & in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum Agni.* Ergo Paulus Ephes. 4. non intendit, nec vrget perpetuam, & non interruptam successionem personarum, sed indesinentem conseruationem Apostolicæ doctrinæ in Ecclesia Christiana: Hæc Brochmandus.

RESPONDEO, Brochmandum apertissimè vim inferre verbis S. Pauli. Commemorans enim Apostolus *dona*, quæ *Christus ascendens in altum, dedit hominibus*, suæque Ecclesiæ, ait, illum dedisse alios Apostololos, alios Pastores, &c. ad eum finem, vt conseruent in puritate fidei & doctrinæ, Ecclesiam, ne fluctuet, ac erroribus circumueniatur; hoc est, ne pereat. Atque vt omnes intelligant ipsum non loqui tantùm de tempore primæ Ecclesiæ, sed etiam secuturæ vsque ad finem Mundi (quandoquidem eo vsque militatura Ecclesia, non minus indigebit hoc præsidio doctorum & Pastorum, quàm anterior: & nefas est credere, Christo illam minùs curæ fuisse, quàm hanc) dissertissimè ait Paulus Christum *dedisse*, (nempe, partim *in re* partim in

spe

ſpe ac promiſſione) *Apoſtolos, Doctores & Paſtores, &c.* I. *ad conſummationem Sanctorum*, id eſt *Saluandorum:* II. *in ædificationem Corporis Chriſti*, quod eſt tota vniuerſalis Eccleſia: III. *Donec occurramus omnes in vnitatem fidei & agnitionis filij Dei, in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti, &c.* quæ omnia iuxta Dei ordinationem, non potuerunt fieri & abſolui primo duntaxat ſæculo, ſed neceſſariò requirunt totum tempus, vſque dùm Orbis machina diſſoluetur? idcirco dixit Saluator in cælum aſcenſurus, Matthæi vlt. v. vlt. *Ecce, ego vobiſcum ſum* (per meos Doctores atque Paſtores aſſiſtentiâ Spiritûs S. inſtructos) *omnibus diebus, vſq; ad conſummationem ſæculi.* Tunc enim erit etiam *conſummatio Sanctorum*, tam numero, quàm meritis, ad *explendam ruinam* Angelorum in cælis: Tunc *ædificatio*, & adhuc imperfecta fabrica *Corporis Chriſti* myſtici, complebitur, viuis ex lapidibus, & ad culmen perducetur: Tunc *occurremus omnes, &c.* quando in extremo iudicij die, ſaluandi vniuerſi, omnium ſæculorum, ex omnibus populis, linguis & in agnitione filij Dei *Vnum corpus & vnum virum perfectum*, cuius caput Chriſtus eſt, ſimul conficient: Vnde Syrus vertit (teſte Cornelio à Lapide) *donec omnes ſimus vnus perfectus vir.* Itaque meridiano ſole clariùs eſt, Apoſtolum dicere, Chriſtum non tantùm *dediſſe* *Explicatio Apo-*

Paſtores

ſtoli, Donec occurramus omnes.

Paſtores & Doctores pro Apoſtolorum tempore, qui Eccleſiam ab erroribus fidei immunem ſeruent, ne illa fluctuet paruulorum more; ſed & pro ſubſequentibus ætatibus, vſque ad occaſum Mundi, conſimiles Doctores & Paſtores eidem nunquam defuturos. Etſi enim Chriſtus ſuo tempore dederit immediatè per ſe, Eccleſiæ Apoſtolos, Doctores & Paſtores, &c. tamen mediatè eoſdem dedit etiam poſteriori Eccleſiæ; dum Apoſtolis dedit poteſtatem conſtituendi poſt ſe alios, & alijs iterum alios, vſque ad finem Mundi. Ex quo rectiſſimè Catholici Eccleſiæ viſibilis infallibilitatem & perpetuitatem concludunt. Si enim eò vſque, *donec conſummentur Sancti, donec perficiatur ædificium* Corporis Chriſti, *Donec occurramus omnes in virum perfectum*, &c. Eccleſia eſt habitura tales Doctores & Paſtores, per quos in vera fide ſtabiliatur, ne fluctuet, tunc eo vſque eſt etiam futura viſibilis & infallibilis; impoſſibile enim eſt non videri eam, quæ habet Paſtores & Doctores palàm docentes: & impoſſibile eſt non eam falli & errare, quæ ſemper firma ſtat in fide, nec fluctuat; ſed verum eſt antecedens ex Apoſtolo. Ergo & conſequens.

Probatur perpetuitas & infallibilitas Eccleſiæ.

Bene autem notandum eſt, quod Paulus dicit, *Dedit Apoſtolos, Paſtores & Doctores*, non dicit, *dedit ſcripturam Apoſtolorum*; quia Eccleſia potuit eſſe etiam ſine Scriptura, ſaltem

N. T.

N. T. ſicuti per bonam partem primi ſæculi fuit; non autem poteſt eſſe ſine miniſterio Paſtorum & Doctorum; licet enim habeamus Scripturam, nihilominus Paſtores & Doctores neceſſarij ſunt ad Scripturam, in vero & legitimo ſenſu interpretandam, & ad Sacramenta adminiſtranda.

Nec obſtat, quòd Paulus ad Epheſ. 2. & Ioannes in Apoc. Apoſtolos *fundamenta Eccleſiæ* appellauit. Fuerunt enim *fundamenta* ſecundaria poſt Chriſtum & tantùm *miniſterialia*; ſed per prædicationem, non per Scripturam; alioquin illi Apoſtoli qui nihil ſcripſerunt, non fuiſſent Eccleſiæ fundamenta, quod falſum. Igitur nihil ad rem faciunt loca à Brochmando allegata.

NB. *Apoſtoli fuerunt fundamenta Eccleſiæ per prædicationem, non per Scripturam.*

EFFUGIA

Contra argumentum ex Illegitima Vocatione miniſtrorum Proteſtantium.

Primum Effugium Brochmandi.

ETſi verum ſit, ordinariè neceſſariam eſſe vocationem, & electionem & miſſionem miniſtrorum, quando & quamdiu Eccleſia eſt in pacifico & ordinato ſtatu, attamen cùm publicis perſecutionibus, corruptelis,

lis, & generali apostasiâ perturbata, ac tyrannide oppressa est, vt superioribus sæculis factum, tunc cuilibet licitum est sine ordinaria Vocatione Verbum Dei prædicare & administrare Sacramenta, & hoc libenter Deus permittit & ratum habet. Ita *Brochmandus* cit. lib. f. 517. 518. & f. 775. & seqq. & f. 816. & probat exemplo Philippi, Actor. 8. & Apollo, Actor. 18. & aliorum hinc inde dispersorum, Actor. 8. & 11. &c. Idem docuit Beza in Confess. Fidei, c. 5. sect. 28. vbi disertè ait, fallos ministros esse, *qui vel non sunt electi ritè ab Ecclesia, (si quis est in Ecclesia legitimus ordo) vel à Deo non sunt extra ordinem excitati, sicut nostro quoque tempore accidit, rebus ita collapsis, vt ordinariæ vocationi nullus esset locus relictus*; insinuans clarissimè, in tali statu Ecclesiæ impuræ, & omnia præposterè agentis, ordinariam successionem & vocationem neutiquã esse exspectandã; sed cuiuis à Deo immediatè concessũ esse, vt necessitati huic succurrat.

RESPONSIO.

I. Si hæc sententia loquitur de vniuersali & totius Orbis Ecclesia, assumit quod est probandum, & supponit, quod est falsum, & impium; nempe Ecclesiam vniuersalem ac totam errare posse. Iam enim superiùs demonstratum est, Ecclesiam totam ac vniuersam, & cælestibus præsidijs firmatam, tot maximis promissionibus diuinis de assistentia contiFrustrà fingitur necessitas extra ordinem

nua

nua Spiritûs S. munitam, nunquam esse omninò collapsuram, vsque ad finem Mundi. Semper igitur est locus *Vocationi* ministrorum ordinariæ; & frustra fingitur necessitas illa vocationis extraordinariæ, & immediatæ à Deo, qualis nunquam futura est. Si autem loquitur de Ecclesia particulari in vna, & altera Prouincia, etiam nihil probat. Quia esto, perierit ista, & ista particularis Ecclesia, plurimæ tamen aliæ Ecclesiæ in alijs locis remanserunt incorruptæ, ex quibus potuerunt & possunt veri ministri, per *ordinariam* vocationem mitti ad illas Ecclesias collapsas, vt ministerium legitimum denuò ibi erigatur, & quasi nouæ Coloniæ ducantur: sicuti in varijs locis sæpe factum. Non est igitur vlla talis necessitas extraordinariæ, & immediatæ, vocationis à Deo.

dinaria Vocationis, durante visibili verâ Ecclesiâ.

Ad illa exempla ex actis Apostolorum, c. 8. &c. infra Effugio 6. ad 4. contra Photinianos & Socinianos respondebitur.

II. Sancti Patres semper ex tali defectione Ecclesiarum, qualem toto Orbe fuisse comminiscuntur Protestantes, concluserunt, nullam ampliùs simpliciter supereſſe in Ecclesia vocationem legitimam. Ergo nec apud Protestantes potest esse legitima vocatio. Hinc S. Augustinus contra Donatistas de Baptis. lib. 2. cap. 7. ait: *Si tempore Cypriani communione malorum contaminabatur Ecclesia,*

jam tunc perierat: non erat ergo vnde propagaremini. Et ad eundem modum argumentatur, lib. 3. c. 2. lib. 5. c. 1. & Hilarius in lib. de Synodis cont. Arian. prope finem, & alij. Igitur plumbeum est hoc telum Brochmandi.

III. Omnis extraordinaria & immediata vocatio debet per miracula probari, vt cum S. Chrysost. hom. 14. in Matthæum multi fatentur etiam ex ipsis Protestantibus. Miracula nec Lutherus, nec Zvvinglius fecit.

IV. Ex hac sententia de possibilitate defectionis Ecclesiæ vniuersalis, & immediatâ vocatione armantur omnes hæretici & hæresiarchæ, vt errores suos abominandos liberrimè dissemiuent, & in quamlibet Ecclesiam, velut latrones, irruant, non autem per ostium intrent. Dicent enim omnes propter doctrinam illic corruptam, ordinariæ vocationi locum ampliùs relictum non fuisse: ideò se à Deo diuino instinctu permotos esse, vt docerent: & de facto hoc fuco omnes olim hæretici suam successionem palliârunt. Sic Donatistæ absque vocatione legitima se intruserunt Romæ & Carthagine, *quia totus*, inquiebant, *Mundus apostatauerat*, apud S. August. de Vnit. Eccl. cap. 13. & S. Hieron. de Luciferianis. Ex eodem etiam fundamento à Lutheranis & Caluinistis recesserunt Ariani & Antitrinitarij in Polonia & Transiluania; quo à Catholicis Lutherani & Caluinistæ.

ſtæ. Nec alio ſcuto ſe tuentur Photiniani & Sociniani moderni, cum quibus ipſi Lutherani digladiantur: vt videbimus Effugio VI. ſequenti.

II. Effugium Brencij.

VOcationem hanc & electionem poſſe à Magiſtratu quolibet, conſentiente populo, fieri; ita Brencius in prolegom. Muſculus in Locis com. apud Stapletonum, fol. 225. & multi Anglo-Caluiniſtæ, ob ſequentes rationes.

I. Synodus Conſtantinop. in Epiſt. ad Damaſ. expreſſè oſtendit cum totius Cleri, populi & Theodoſij Imp. ſuffragijs ac conſenſu, electos fuiſſe Nectarium, Flauianum & Cyrillum Epiſcopos, apud Theodoret. Hiſt. Eccleſ. lib. 5. cap. 9. Ergo Principis authoritas, annuente toto Concilio in hac electione interuenit.

II. Ruffinus autor eſt, S. Ambroſium in Mediolani Epiſcopum à populo electum, deinde ab Imperatore Valentiniano confirmatum fuiſſe. lib. 10. Hiſt. Eccl. idque non populi tantùm, ſed & Epiſcoporum rogatu. Theodoret. Hiſt. Eccleſ. lib. 4. c. 5. 6. Ergo agnouerunt illi Epiſcopi Magiſtratûs authoritatem in electionem Epiſcoporum neceſſariam.

III. Leo IV. Papa rogat pêr litteras Lo-

tharium & Ludouicum Augg. vt ipſorum licentiâ acceptâ Reatinæ Eccleſiæ Epiſcopum poſſit conſecrare. Gratianus diſt 63. c. Reatina Eccleſia. & ibid. c. Lectis, Stephanus Papa recuſat conſecrare quendam eiuſd. Eccleſiæ Epiſcopum, licet à Clero & plebe electum, donec licentiam ab Imperatore obtinuiſſet; nec alirer ſe agere debere ſcribit R. Pontifex.

IV. Leo Papa Otthoni I. eiúſque ſucceſſoribus dedit in perpetuum poteſtatem eligendi ſucceſſorem, atque Apoſtolicæ ſedis pontificem ordinandi, & conſequenter vt omnes Archiepiſcopi & Epiſcopi ab eo inueſtituram accipiant, Gratian. diſt. 63. Cap. in Synodo.

RESPONSIO.

Notetur I. Diſcrimen eſſe inter *nominationem, præſentationem, & conſenſum*; & inter ipſã *electionem Canonicam*, quæ *ordinationem* præcedit. Nominatio, ſeu præſentatio Principibus & ſæcularibus Magiſtratibus, & aliquo modo plebi, multis retrò ſæculis honoris cauſâ, vel ob beneficia Eccleſijs collata, legitur conceſſa, & adhuc hodie conceditur, vt teſtatur *Ius patronatûs* Laicorum vſitatiſſimum. Præſentatus autem talis & nominatus à Laicis, adhuc ab Ordinario Collatore, ob iuſtas cauſas reijci potuit & poteſt: vt experientia docet.

Præſentationis porrò huiuſmodi, ſeu nomina-

minationis exemplum clarum habemus in actis Apostolorum cap. 6. vbi septem Diaconi à multitudine fidelium *statuuntur ante conspectum Apostolorum*, id est *præsentantur*, & cum bono testimonio commendantur. Paulus verò non solùm à fideli populo, sed & *ab his, qui foris sunt*, testimonium bonum in ordinandis requirit. 1. Timoth 3. Igitur propter tale testimonium publicum, quoad mores, & populi, & principis consensus requirebatur. Ita S. Cyprian. lib. 1. epist. 3. & 4. & sanctus Leo. 87. *sacerdos Ecclesiæ præfuturus non solùm attestatione fidelium, sed & illorum, qui foris sunt, testimonio muniatur, &c.* & ibid. ait, *expectanda esse vota ciuium, testimonia populorum, honoratorum arbitrium, clericorum autem electionem & subscriptionem.* & epist. 90. ait Episcopos *à Clericis eligendos, à plebe expetendos.* Electio igitur *Canonica*, quæ ius tribuit electo, de qua hîc agitur, ab illa electione, quæ in solo consensu, testificatione & præsentatione consistit, manifestè distinguitur.

Notetur 11. *Electionem* secundi generis & propriè dictam, sæculari Magistratui, in multis Canonibus disertè fuisse interdictam, vt in Can. 30. Apost. *Episcopus, qui Principum, & potentatum Mundi fauore Ecclesiam fuit consecutus, deponitor.* Et in Nicæna Synodo 2. Can. 3. *omnis electio Episcopi, Presbyteri, Diaconi per potestates seculares facta, irrita sit.*

Notetur III. Imperatoribus & Principibus Christianis ab ipso R. Pontifice subinde permissum fuisse, vt Episcopos à Clero electos, ipsi confirmarent, ac inuestirent, ita, vt ante huiusmodi confirmationem non ordinarentur. Patet per Adrianum II. & Leonem IV. qui hanc potestatem Carolo M. & Otthoni I. tribuerunt apud Gratianum dist. 63. Cap. *In Synodo*. Talem quoque potestatem penes Græcos Impp. fuisse quondam ex eod. Gratiano constat, dist. eâd. cap. *Agatho*, &, c. *Salonitana*. Item penes Hispaniæ Reges ibid. Cap. *Cum longè*. Quanquam hoc datum est non propter authoritatem vllam eligendi, quæ ipsis iure diuino competat, sed ad conseruandam pacem publicam, concessus est ad tempus vsus iuris.

Notetur IV. Eadem potestas ab Imperatoribus & Regibus partim sponte renunciata, aut relicta, partim sublata postea est, cessante concessionis causâ, aut illis datâ potestate in detrimentum Ecclesiæ abutentibus. apud eund. Gratian. dist. eâdem parte 4. Ita Stapletonus loco cit.

His notatis.

Ad I. Respond. suffragium Theodosij & Constantinopolitanæ Ciuitatis, non fuisse suffragium *potestatis eligentis*, sed suffragium *approbationis testificationis, & consentientis* in electum,

ctum, quoad mores & vitam. Facta est enim electio Canonica per Episcopos singularum Prouinciarum, quæ illis Patriarchis subjectæ erant, iuxta Canonem vetustum Nicænæ Synodi I. qui in eod. Concilio recitatus est ad huius electionis Confirmationē. Vide Theodor. lib. 5. cap. 9.

Ad II. Episcopi, qui hoc ab Imperatore Valentiniano rogârunt, primum ab ipso Imperatore accersiti sunt & moniti, vt ipsi (quippe *nutriti in diuinis litteris, &c.*) idoneum Episcopum eligerent, Theod. lib. 4. c. 5. vbi Imperator satis ostendit, hoc non ad se, sed ad Episcopos pertinere. Mox verò Episcopi vicissim Imperatorem rogabant) quippe *qui & sapiens, & pietate ornatus esset*, ait Theodor. cap. 6.) vt ipse suffragio suo eligeret; quod fecerunt Episcopi ex reuerentia, non ex debito: quibus statim etiam prudentissimè Imperator respondit: *Maior hæc res est, quàm vt nobis conueniat. Vos enim, qui diuinâ gratiâ digni habiti estis, & ad splendorem illum admissi, melius suffragijs eligetis.*

Ad III. Leo IV. & Stephanus Papa ideò ad ordinationem sine licentia Imperatoris procedere nolebant, quia adhuc durabat tùm authoritas illa Imperatoribus concessa, tùm causa concedendi; vt in Notando 3. dictum. Hæc tamen licentia non requireba-

tur ad electionem ipsam, sed ad electionis à Clero jam factæ *pacificam executionem*.

Ad IV. Data est Imperatori potestas eligendi constituendi Pontificem, non vt ipse propriè eligeret & ordinaret, sed quia non sine eius consensu, ipsa electio executioni mandanda erat, ob causam 3. Not. assignatam. Id inde patet, quod sub eodem Papa Adriano Concilium generale 8. habitum est, in quo electio Episcopi disertissimis verbis principi sæculari negatur.

III. Effugium Philippi de Mornay & Dorscheï.

Sufficit electio & vocatio, quæ fit per simplices presbyteros; qui sunt Episcopis pares: quo nomine hodie vocatio Protestantium ministrorum legitima est: quia deriuatur à Presbyteris & Doctoribus, nempè à Luthero, Zvvinglio, Bucero, Oecolampadio, & alijs hos secutis, & ab his ordinatis. Sic Lutherus ordinauit Amsdorffium Episcopum Naumburgensem; Pomeranum Superintendentem VVittebergensem & alibi alios; & isti rursum alios, vsque in hanc diem: Ita Philippus de Mornay tract. de Ecclesia, c. vlt. cui videtur consentire Dorscheus, scrupulo 17. fol. 516. vbi ait; Lutheri tempore plures alios jam ordinatos prædicatores à Papatu discessisse, qui quod boni erant

rant in Papatu, retinuerunt, purificârunt & communicârunt alijs; quod autem ordinationi, quæ à Deo est, Papatus adiunxit, abrogârunt, & purificatam ordinationem in posteros propagârunt. Tribuit ergo Dorscheus omnibus presbyteris potestatem ordinandi.

Rationes autem huius sententiæ sunt istæ ex Philippo Mornay.

I. Presbyter non differt ab Episcopo. Ergo cùm Lutherus & similes fuerint presbyteri, habuerunt etiam potestatem alios ordinandi. *Presbyter* enim est *nomen ætatis*, *Episcopus dignitatis*, ait Hieron. epist. ad Euagrium. Item, *distinctio honoris & potestatis, consuetudine introducta est, non ex diuinæ dispositionis ordinatione*, inquit idem, Comment. ad Titum, c. 1. Ergo iure diuino sunt æquales.

II. Eisdem verbis consecratur presbyter, quibûs Episcopus. Vtrique enim dicitur, *accipe Spiritum S. quorum remiseritis, &c.*

III. Etiam aliqui Catholici docent, discrimen presbyteri & Episcopi esse merè humanum, & ob maiorem Ecclesiæ pacem ac ordinem introductum.

IV. In veteri Ecclesia sic Patres argumentabantur: Potest baptizare & conficere corpus Domini; ergo potest ordinare. Ita S. Augustt. lib. 2. c. 13. contra Parmenian.

V. Paulus 1. Timoth. 3. eisd. verbis describit

ſcribit officium Epiſcopi & presbyteri: ergo non differunt. probatur antecedens quia ſtatim ab Epiſcopo tranſit ad Diaconum, ſine mentione presbyteri; quod non fuiſſet; ſi diſcrimen eſſet.

RESPONSIO.

Orthodoxa Catholica antiquitas ſemper docuit, poteſtatem mittendi, vocandi, & ſacerdotio initiandi, ſeu ordinandi, ad ſolos Epiſcopos, non autem ad quoſlibet ſacerdotes ſeu presbyteros pertinere: proinde hos ab illis differre; & Epiſcopos *iure diuino* ſuperiores eſſe presbyteris: Quia igitur Lutherus, Zvvinglius, & ſimiles non fuerunt Epiſcopi, neminem ordinare ac initiare potuerunt; neque id hodie prædicantes poſſunt.

Epiſcopos iure diuino ſuperiores eſſe presbyteris.

Sanctus Epiphanius in Hæreſi 75. clariſſimè ait; *Dicere ipſum Epiſcopum & Presbyterum æqualem eſſe, quomodo erit poſſibile? Epiſcoporum enim Ordo Patrum generator eſt: Patres enim generat Eccleſiæ: Presbyterorum autem Ordo non potens generare Patres, per lauacri regenerationem generat filios Eccleſiæ.* Item ibid. *Ipſi (inquit) Aerio, ſermo magis furioſus, quàm humanæ conditionis; & dicebat, quid eſt Epiſcop⁹ ad presbyterum? Nihil differt hic ab illo. Vnus enim eſt ordo, & vnus honor & vna dignitas. Imponit manus Epiſcopus, ita & presbyter, &c.* quem errorem poſtea idem Doctor fuſè refellit: vt plane videatur furor eſſe huic veritati reſiſtere.

Sic

Sic etiam S. Augustinus lib. ad quod vult Deum, de Hæresibus, Hæresi 53. ait: *Aëriani ab Aërio quodam sunt nominati, qui cùm esset presbyter, doluisse fertur, quòd Episcopus non potuit ordinari.* Et postea enumerans illius errores, etiam hunc ponit: *Dicebat presbyterum ab Episcopo nullâ differentiâ debere discerni.*

Sanctus quoque Hieronymus, epist. ad Nepot. ait, *Quod Aaron & filios eius, hoc Episcopum & presbyteros esse nouerimus.* Et paulò post. *Gloria Patris est filius sapiens: Gaudeat Episcopus iudicio suo, cùm tales Christo elegerit sacerdotes.* Notissimum autem est, inter Aaronem & filios, iure diuino magnum discrimen fuisse dignitatis & potestatis. Neque aliter idem Hieronymus docuisse censendus est in epist. ad Euagrium & comment. in cap. 1. ad Titum, vbi ait, *idem est presbyter, qui Episcopus, &c.* Quia manifestum est, eum non loqui de potestate *Ordinis*, sed *Iurisdictionis*: cùm expressè ibi excipiat *Ordinem*, quando ait: *Quid enim facit, EXCEPTA ORDINATIONE, Episcopus, quod presbyter non faciat?*

Iurisdictio autem Episcopalis olim in prima Ecclesia, cùm pauci essent ordinati Episcopi, seu primi ordinis sacerdotes, æqualiter ab Ecclesia etiam secundi ordinis sacerdotibus, seu presbyteris conferebatur *in actu secundo*; ideo & ipsi presbyteri tunc Episcopi,

seu Antistites sunt aliquo modo vocati, sicut è contrario sacerdotes *primi ordinis*, hoc est Episcopi, subinde sunt vocati presbyteri; vt apparet 1. Timoth. 4. & 5. & notauit Oecumenius, cum Chrysost. homil. 11.

Cùm autem postea, auctâ Ecclesiâ, ex hac concessione speciali sacerdotibus secundi ordinis per dispensationem facta, dissensiones & schismata orirentur, desijt ista potestas illis amplius committi.

Differentia inter Episcopos & Presbyteros.

Differunt ergo, & superiores sunt Episcopi presbyteris *iure diuino*, quoad ordinem; quia Episcopi præter potestatem sacerdotalẽ, possunt etiã ordinare & confirmare: quoad iurisdictionem adhibenda est distinctio actº primi & secundi. In actu primo, seu in debito, ius diuinũ plº iurisdictionis confert Episcopo, quàm sacerdoti: quia ratione Episcopalis muneris, Ecclesia plus iuris illi debet conferre, quàm sacerdoti debeat, at in actu 2. æqualem iurisdictionem potest tribuere simplici sacerdoti & Episcopo: vt olim factum esse primis temporibus jam diximus: Hanc nostram sententiam de Iure diuino agnouit Iacobus magnæ Britanniæ Rex in *Monitoria præfat.* inquiens, *Episcopos in Ecclesia esse debere, tanquam institutionem Apostolicam, ac ordinationem proinde DIVINAM, contra Puritanos semper sensi.* Et paulò post. *Quo studio in Episcoporum & Ecclesiastica Hierarchia defensione*

nem

nem semper incubui, eodem in confusam illam Anarchiam & paritatem Puritanorum innectus sum, vt vel ex βασιλικῷ meo δώρῳ satis constat. Adrianus Sarauia in peculiari Tractatu de diuersis gradibus Ministrorum Ecclesiæ ex professo demonstrat, *Episcopos iure diuino superiores esse, & aqualitatem illam à Reformatis passim innectam institutioni Christi & perpetuæ vniuersalis Ecclesiæ praxi repugnare, & perniciosam esse.*

Ad I. RESPONDEO; falsum esse antecedens, vt jam ostendi; Et confirmatur ex Dionysio Areop. Eccles. Hierarch. c. 5. vbi tribuit sacerdoti *illuminare per baptismum, & purgare per pœnitentiam*; *Episcopo autem perficere per ordinationem & confirmationem*: Apud S. Athanasium quoque Colluthus quidam Arianus, quòd, presbyter tantùm cùm esset, quæ Episcoporum sunt, sibi adsciscceret, imaginarius Episcopus dicitur in Apologet. 2. & in Epist. Synod. apud eundem Ischyrus quidam calumniator improbissimus grauissimè sæpe accusatur, quòd pro presbytero se, cùm non esset, gereret; licet ei à Collutho illo manus impositæ fuissent. Cur autem pro presbytero iste non fuit agnitus? non alia de causa, nisi quia non à vero, sed *imaginario Episcopo* Collutho, qui solùm simplex sacerdos fuerat, est ordinatus. Vides quid de Episcopis, quid de presbyteris orthodoxa antiquitas senserit?

Ad II.

Ad II. Resp. Conceſſo antecedente, negatur conſequentia. Eiſdem quidem verbis conſecratur ſacerdos, quibus Epiſcopus; ſed non eâdem ſignificatione, nec eâdem intentione: ideò gradus in Epiſcopo eſt diuerſus. Quia in conſecratione Epiſcopi formula illa generalis, *accipe Spiritum S.* ex adiunctis, ad certum munus, & ad extenſiorem poteſtatem determinatur; nam tres Epiſcopi imponendo manus, indicant ſe illum in conſortiùm & collegium ſuum cooptare: quod non fit in conſecratione ſimplicis ſacerdotis, ad quam ſufficit vnus Epiſcopus. Etſi autem Epiſcopus per ſuam conſecrationem non accipiat adæquatè nouam poteſtatem, accipit tamen inadæquatè: quia poteſtas ordinis, quam priùs vt ſacerdos accepit, tunc extenſior fit, ad conferenda etiam ſacramenta Ordinis & Confirmationis, &c. quæ priùs conferre non potuit. Quare ſi in Epiſcopum conſecraretur, qui priùs ſacerdos non eſſet, Sacramenta, quæ vt ſacerdos conferret, nulla eſſent. Ita Stapletonus Controu. 2. q. 4. art. 3. f. 241. ex Thoma VValdenſi. Tomo. 1. lib. 2. c. 60.

Ad III. Resp. Auctores, qui docent, diſcrimen Epiſcopi & presbyteri eſſe *merè humanum*, (cuiuſmodi ſunt Ioan. Pariſ. Marſilius Patauinus, Card. Cuſanus, &c.) fuerunt partiales & de factione Imperatoris contra Papam,

Papam, nec vllis nouis argumentis ſuam ſententiam probant, quæ non ſoluantur à nobis: itáque eorum teſtimonia minus valent. Deinde non de poteſtate *Ordinis* loquuntur, ſed *iuriſdictionis*, de qua paulò ante dictum.

Ad IV. Resp. Falſum eſt, S. Auguſtinum ſic argumentari: quia illic loquitur de ſolis Epiſcopis hæreticis, qui vt baptiſmum integrum, ſic & ius baptizandi integrum habebant, quatenùs erant Epiſcopi, vel præpoſiti Eccleſiarum, aitque illos, ſi à nobis ad hæreticos tranſeant, neque baptiſmum, neque ordinem amittere: ſed ſicut validè baptizant, ita & validè ordinare, vbi diſertè ordinem non minùs *Sacramentum* vocat, quàm baptiſmum; quod eſt diligenter notandum, contra Proteſtantes, de quo plura Stapletonus controu. 2. f. 242. plura.

Ad V. Resp. Conceſſo antecedente, negatur conſequentia. Paulus enim ideò à deſcriptione Epiſcopi ſtatim tranſit ad Diaconos, ſine mentione presbyteri: vel quia Epiſcopi à presbyteris non multum differunt: & ſic in Epiſcopo deſcripſit etiam ſufficienter presbyterum, quo ad plurima, quæ ſunt ordinis & iuriſdictionis; licet nõ quoad omnia: vel quia inferiùs capite 5. in eâdẽ epiſtola, expreſſè etiam de presbyteris acturus erat: & ſic hoc loco presbyteros ſilentio præterijt.

Porrò Dorſchei argumentum nimium probat. Quia

Quia I. Sic etiam Donatiſtæ potuiſſent ſuæ Vocationi fidem facere contra orthodoxam antiquam Eccleſiam, quod abſurdum, probatur ſequela. Facillimum illis fuiſſet dicere ſe presbyteratum à Catholicis accepiſſe, poſtea retinuiſſe, quod bonum, & abieciſſe, quod malum. Hanc autem exceptionem minimè admiſiſſet S. Auguſtinus, qui lib. 2. contra Donatiſtas, c. 7. expreſſè dicit, *ſi tempore Cypriani communione malorum contaminabatur Eccleſia, jam tunc perierat Eccleſia; non erat ergo Vnde propagaremini:* quaſi dicat; Illa vocatio, quam accepiſtis à Catholicis, fuiſſet *Nulla*: quia tunc Eccleſia, quæ *perierat*, erat *Nulla*, quippe contaminata. Sic etiam nos dicimus; Si Papatus fuit tempore Lutheri adeò erroribus contaminatus, vt dicitis, eo tempore ſecundùm mentem S. Auguſtini, per veſtram gloſſam, jam in Papatu *Nulla* fuit ampliùs Eccleſia; nec vlla poteſtas legitima alios vocandi. *Non ergo erat, vnde vos vocaremini, & propagaremini.* Nulla igitur omnino tunc veſtra fuit *Vocatio* ſed prorſùs inualida, quam in Papatu, ſiue alibi, accepiſtis: nec potuiſtis aliquid de illa boni retinere, in qua nihil fuit boni, veſtro iudicio.

II. Dorſchæi argumentum eſt etiam contra ipſam Lutheranam Eccleſiam, & Lutheranorum *Vocationem*. Nam probat etiam Zvvinglij, Caluini, Schvvenchfeldij, Photini,

ni, Socini & quorumuis aliorum recèns natorum hæresiarcharum *vocationem* esse legitimam. Omnes enim isti possunt idem prætendere, & quod Lutherani dicunt, dicere; se retinuisse id, quod est bonum, & abiecisse id quod est malum. Vnde oriretur summa in Ecclesia, ratione vocationis, confusio, nec esset finis vllus nouorum Enthusiastarum & Fanaticorum. Quo nihil pestilentius, & ad subuertendum omnem etiam statum politicum accommodatius.

IV. Effugium, Ioan. Calvini.

DIcunt aliqui Electionem, seu Vocationem hanc non solùm à Magistratu, sed à tota plebe per suffragia omnium, vel saltem plurium institui necessariò debere, iuxta Apostolorum & veteris Ecclesiæ ritum. Quâ electionis formâ, quia Romana Ecclesia caret, nullam ampliùs esse in ea veram vocationem. Ita Caluinus, lib. 4. Inst. c. 3. n. 15. &, c. 4. n. 11. ob has Rationes.

I. Actor. 13. creabant quidem presbyteros Paulus & Barnabas, sed totâ multitudine manibus sublatis declarante, quem habere vellet; nam mos erat Græcorum, vt per eleuationem manuum, suffragia darent in electionibus; & hoc significatur per græcum verbum χειροτονήσαντες.

II. Nec Matthias (Actor. 1.) adscribitur Apostolorum Collegio, nec Diaconi (act. 6.) creantur, nisi populo eligente & approbante. Eligit ergo populus, quamuis Electioni præsit Pastor, ne quid per leuitatem, aut tumultum peccet multitudo.

III. Cyprianus affirmat, *ex diuina authoritate descendere, vt sacerdos plebe præsente sub oniuum oculis deligatur.* lib. 1. epist. 3. & dignus ac idoneus publico iudicio ac testimonio comprobetur. Imò ait ipsam *plebem maximè potestatem habere, vel eligendi dignos sacerdotes, vel indignos recusandi.* Est ergo iuris diuini, Electio popularis.

IV. Leo M. epist. 90. c. 2. ait. *Qui præfuturus est omnibus, ab omnibus eligatur.*

V. Synodus vniuersalis Constantinop. Nectarium noluit ordinare, sine totius cleri & populi approbatione.

VI. Cùm olim Episcopus aliquis sibi successorem designaret, ad id totius populi consensum requisiuit, cuius formula est apud S Augustinum Epist. 110. in nominatione Eradij. Sic Theodoretus, cùm refert, Petrum ab Athanasio successorem nominatum, statim adiungit, Magistratum & primores populúmque vniuersum suâ acclamatione approbâsse. lib. 4. c. 20. Hist. Eccles.

VII. Adhuc tempore Greg. M. id vsitatum fuit. Ideò ille, vbi de nouo Episcopo agitur,

agitur, ſcribere non ſolùm ad Clerum, ſed etiam ad plebem & Ducem populi ſolitus eſt. in Regiſtro, lib. 2. epiſt. 69. & alijs, &c. Hæc Caluini ſunt argumenta locis cit.

Præ Notanda ad ſolutionem argumentorum Caluini.

I. In electione Epiſcopi, vel presbyteri duo ſunt conſideranda: doctrinæ integritas ac ſufficientia, & vitæ probitas. ad poſterius requirebantur populi teſtimonia: ad prius ſoli Epiſcopi & Clerus. Ideò ſolius populi electio, nunquam fuit per ſe ſufficiens ad valorem; eò quòd ad iudicandum de præcipuo requiſito (doctrinæ ſcil.) ſit ineptus.

II. Populi conſenſus & teſtimonium ex congruo, nō autem ex neceſſitate adhibebatur; ob maiorem Eccleſiæ pacem, & promptiorem obſequentiam: vt ex Epiſt. Leonis M. citatâ patet.

III. His duabus cauſis ceſſantibus, quando ſcil. abſque populi teſtimonio de vita & moribus ſatis per litteras teſtimoniales aliunde conſtare, & pax Eccleſiæ conſeruari potuit, omiſſa eſt populi atteſtatio, qui per piam obedientiam ſe facilè accommodauit, quando fuit bene eruditus.

IV. Vtrumque tamen apud Catholicos adhuc aliquo modo eſt in vſu. Nam quoties fiunt ordinationes, fit publica adhortatio ad

populum, vt ſi quis habeat aliquid contra ordinandos, prodeat cum fiducia propter Deum, & dicat, &c. deinde præſentationes parochorum adhuc ſæpiſſimè ſunt penes ſæculares & Laicos: qui hoc ipſo quòd aliquem Epiſcopo præſentent, teſtimonium dant de vitæ probitatę.

V. Eo ipſo etiam quia popularis electio ſæpe fuit reiecta, oſtenſum eſt, non eſſe iure diuino neceſſariam; vt videre eſt ex Concil. Antioch. 2. Can. 18.

VI. Ipſi Aduerſarij hodie plerique omittunt hanc totius populi ſuffragationem, aut certè ita reſtringunt & limitant, vt nihil relinquant populo, niſi nudum electionis titulum: imò aliqui, vt hoc ſuum factum excuſent, dicunt populum ius ſuum Magiſtratui aut Clero ceſſiſſe.

Reſponſio ad Caluini argumenta.

Ad I. Reſpondet optimè Stapletonus Controuerſ. 2. q. 4. art. 3. f. 247. & ſeq. & in Antidotis Apoſtolicis ad cap. 14. Actor. v. 22. Græcam hanc vocem χειροτονήσαντες in ſenſu Scripturæ Euangelicæ & SS. Patrum neutiquam ſignificare *eleuationem manuum ad ſuffragia danda*, ſed *impoſitionem manuum* ad ordinationis Sacramentum impertiendum; tùm quia ſæpè in Scriptura tribuitur Apoſtolis

lis ipsis, quorum tamen non erat *extendere* aut *eleuare* manus ad *suffragium dandum*, sed *manus imponere* ad Ordines conferendos; &, vt ipsi aduersarij fatentur, in populari manuum extensione, atque electione, actionem illam moderari: tum quia Act. 13. v. 4. cùm Spiritus S. dixisset, *segregate mihi Saulum & Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos*, Scriptura dicit, *Tunc ieiunantes, & orantes, imponentésq; eis manus, dimiserunt illos. Et ipsi quidem missi à Spiritu S. abierunt Seleuciam, &c.* Quid autem obsecro, illic profuisset *eleuatio manuum* ad suffragia danda? an non Spiritus S. jam omnem dubitationem sustulerat, disertè nominando & exprimendo, quinam mittendi essent? nempe Saulus & Barnabas. Igitur non potest illic rationabiliter intelligi hæc *manuum eleuatio* ad suffragia, per verbum χειροτονήσαντες.

Ad II. Resp. neque Actor. 1. de Matthia, neque Actor. 6. de Diaconis expressè dicitur, à multitudine electos esse; quamuis ea electio populo, coram quo facta est, placuerit: nihil igitur adhuc inde probatur, nisi per coniecturam. Fieri enim potuit, vt soli Apostoli sortes miserint. posito autem, quòd etiam populus consensu & approbatione suâ cooperatus sit electioni illi, non fuit simpliciter necessaria; sed admissa, ob causas in prænotando 2. allatas, ad testimonium de vitæ probitate.

Ad III. Quando S. Cyprianus ait, *ex authoritate diuina descendere plebis consensum, &, plebē habere potestatem eligendi, &c.* non vult dicere, esse iure diuino præceptum ac necessarium testimonium & consensum populi, pro electione Episcopi; tale enim præceptum nusquam reperitur: sed id fieri ad exemplum in Scripturis expressam Num. 20. Act. 1. & 6. at exempla Scripturarum, non faciunt rem iure diuino præceptā; vt rectè Bellarminus, lib. 1. c. 7. de Clericis. ad arg. 7. multarum enim rerum exempla referuntur in Scriptura, quæ tamen non præcipiuntur, an non ipse Cyprianus Clericum quendam, de cuius probitate aliunde ipsi constabat, inauditâ plebe ordinauit? vt ipse narrat lib. 2. epist. 5. quod facere non potuisset, si iure diuino necessarium fuisset. Igitur Cyprianus plus non tribuit populo, quàm testificationem de moribus & vita; & quia plebs potest dicere, si quid nouit boni vel mali de ordinando, sic suo testimonio efficit, vt eligatur, vel non eligatur, more testis, non more iudicis. Igitur apud S. Cyprianum intelligitur *diuina authoritas* quoad *exemplū*, non quoad *præceptum*.

Ad IV. Quod S. Leo dixit, vt *qui omnibus præfuturus est, ab omnibus eligatur*, & nos dicimus; sed sensus est, vt id fiat conuenienter vniuscuiusque statui, ac gradui: à populo quidem *more testis*, ab Ecclesia, aut eius Prælato, *more iudicis*.

Ad V.

Ad V. Esto; Nectari° in conspectu populi Constantinopolitani in Synodo vniuersali fuerit constitutus Episcopus; attamen in eodem Synodo plures aliorum locorum Episcopi, absentibus, & ignorantibus eorũ populis, creati sunt; vt vel ex hoc ipso liquidum sit, ex Patrum illorum mente populi consensum non fuisse necessarium.

Ad VI. Acclamatio popularis in Successore Augustini & Athanasij ad *melius esse*, hoc est ad maiorem pacem Ecclesiæ, ob grassantes eo tempore hæreses, & factiones tunc adhibita fuit; non quia simpliciter necessaria fuit: iuxta prænotand. 2.

Ad VII. Nõ solùm tempore Gregorij M. sed & posteriùs durauit populi consensus, & testificatio, quantum Ecclesia iudicauit iuxta cuiusuis temporis & loci statum esse necessarium: vbi autem nulla est necessitas, & magis inde metuuntur tumultus sanguinarij, & clades, vt in Græcis & Latinis Ecclesijs sæpe factum, ob grauissima dissidia & studia partium in plebe, ista popularis electio vti authoritate Ecclesiæ est introducta, ita authoritate eiusdẽ est abrogata. Præclarè Augustinus de lib. arbitr. lib. 1. c. 6. *Modestum & grauem populum potestatem habere creandi sibi Magistratûs, (intellige, suo modo) est iustissimum: at verò si mutentur mores, & indisciplinatus fiat, iustissimè hæc illi auferetur potestas.*

V. Effugium Ioan. Gerardi.

IOannes Gerardus, lib. 2. Confeſs. Cathol. p. 2. cap. 1. ait, Electionem & vocationem miniſtrorum iure diuino ad vniuerſam Eccleſiam ſpectare, nec poſſe legitimè fieri ſine populi conſenſu & ſuffragio.

Probat autem his rationibus. I. Cuicunque claues regni cælorum ab ipſo Chriſto ſunt traditæ, penes eum eſt ius vocandi miniſtros Eccleſiæ. Quia per claues intelligitur poteſtas Eccleſiaſtica, cuius pars eſt ius vocandi & conſtituendi Eccleſiæ miniſtros. Atqui toti Eccleſiæ traditæ ſunt à Chriſto claues regni cælorum. Matth. 16. v. 19. &c. Ergo penes Eccleſiam eſt ius vocandi miniſtros, & conſequenter etiam penes multitudinem.

II. Cuius eſt diſcernere DD. à ſeductoribus, probare ſanam doctrinam, vocem Chriſti à pſeudopaſtorum voce diſtinguere, alienum non ſequi, ſed ab ea fugere, anathematizare eos, qui aliud Euangelium prædicant, eius eſt ſuo modo & ordine vocare miniſtros Eccleſiæ, &c. Sed ouibus Chriſti ſiue auditoribus vi diuini præcepti priora omnia incumbunt. Matth. 7. 15. Ioan. 5. 39. c. 10. 27. Galat. 1. 9. 1. Theſſal. 5. 19. 20. 21. 1. Ioan. 4. v. 1. 2. Ioan. v. 10. 11. Ergo & jus vocandi, &c. ipſis competit.

III. Cuius

III. Cuius ministri sunt & dicuntur Pastores, illi quoq; competit jus & potestas vocandi Pastores. Sed sunt & dicuntur Ministri Eccles. 1. Cor. 3. v. 21. 22. 2. Cor. 1. v. 24. 1. Petri 5. v. 2. 3. Ergo Ecclesiæ competit ius, &c.

IV. Quod omnes tangit, omnium consensu & suffragijs perâgi debet. Sed ministros idoneos & orthodoxos constitui, tangit omnes Ecclesiæ ordines. Ergo, &c.

V. Quam vocandi ministros rationem obseruârunt Apostoli, ea meritò adhuc est in Ecclesia obseruanda. Sed Apostoli sic vocârunt ministros, vt accederet etiam Ecclesiæ consensus. Actor. 1. 23. c. 6. 3. 5. 6. c. 14. 23. c. 15. 22. 1. Cor. 6. 3. 2. Cor. 8. 19. 1. Tim. 3. 7. c. 4. 14. c. 5. 22.

VI. Eadem fuit praxis Ecclesiæ primitiuæ, quam demonstrant Conciliorum Decreta, Patrum dicta, & probata legitimæ vocationis exempla.

VII. Adducit Gerardus plurima exempla, Decreta, dicta, rescripta pontiff. Conciliorum, &c. ex Iure Canonico Distinct. 23. 24. 26. 63. 65. 67. & Causa 16. q. 1. &c. quibus idem probatur.

RESPONSIO.

Hæc omnia ex responsis ad Effugium 4. facilè diluuntur. Nam I. Si iuris diuini esset, pastores eligi à Magistratu politico & populo, nunquam potuissent sine Magistratûs &

populi consensu eligi: sed constat ab ipsis Apostolis, & in primitiua Ecclesia, sæpissimè pastores populorum esse constitutos à solis Episcopis, non consulto, nec audito imò repugnante subinde populo. Ergo non potest esse ex iure diuino apud populum & Magistratum politicum Electio. Maior est euidens, quia in Iure diuino non datur dispensatio.

Minor probatur I. Quia Paulus Tito scribens, c. 1. v. 5. nulla populi mentione factâ, ipsi soli institutionem ministrorum Ecclesiæ mandat. *Reliqui te Cretæ, vt constituas per ciuitates presbyteros, sicut ego disposui Tibi.* Similiter 1. Timoth. 3. modum eligendi ministros præscribens, populi electionem nusquam requirit: sed c. 5. v. 22. totum negotium instituendi ministros, Timotheo permittit, nullâ mentione factâ Laicorum.

II. Quando Apostoli mittebant sacerdotes ad infideles, quæro cuiusnam Ecclesiæ suffragijs huiusmodi sacerdotes fuerint electi? non possunt dicere, eorum, ad quos mittebantur; quia illi nondum erant de Ecclesia, & qui veniebant, penitùs illis erant ignoti. Si dicant, ab illa Ecclesia electos, à qua mittebantur, clarè demonstrant electionem seu vocationem ministrorum nec Magistratui Laico, nec populo, iure diuino competere. Hoc enim ideò dicunt, ne populus &

Magi-

Magiſtratus accipiant paſtorem ignotum: ſed hæc ratio in dictis miſſionibus Apoſtolicis non habuit locum; accipiebant enim paſtores ignotos populi gentiles. Ita rectè Coturius.

Ad I. Argumentum Gerardi, diſtinguo Maiorem. Cuicunq; claues regni cælorũ ſunt traditæ, *finaliter*, penes illum eſt ius vocandi miniſtros, nego maiorem: cuicunque ſunt traditæ *miniſterialiter*, penes illum eſt ius vocandi miniſtros, concedo maiorem. *Diſtinguitur Maior Ioan. Gerardi.*

Sed claues regni cælorum ſunt vniuerſæ Eccleſiæ traditæ, *finaliter*, id eſt, ad hunc *finem*, vt vſus & applicatio illorum cedat in bonum totius Eccleſiæ, & ſingulorum de Eccleſia; ſic concedo minorem: *miniſterialiter*, id eſt, vt quilibet de tota Eccleſia, quicunque ille ſit, ſit etiam *miniſter* clauium, & habeat ius exercendi poteſtatem illam, clauibus contentam, ſic nego minorem. In hoc enim poſteriore ſenſu *claues regni cælorum* Chriſtus dedit non niſi Apoſtolis eorúmque ſucceſſoribus, & primariò ac immediatè quidem S. Petro illas promiſit, Matth. 16.19. *Tibi* (inquit, non multitudini) *dabo claues regni cælorum*; Deinde, c. 18. v. 18. Apoſtolis in communi promiſit: *Quæcunque alligaueritis ſuper terram, &c.* Quis autem dicat, hanc poteſtatem eſſe conceſſam ſingulis de populo? Nihil igitur probat Gerardus.

Ad II.

Ad II. Dico, eo argumento nihil esse absurdius: quia confundit, & à fundamentis euertit totum Ordinem in Ecclesia à Christo & Apostolis constitutum. Si enim discipulorum est iudicare de doctrina Magistrorum & Doctorum: & ouium est in examen doctrinæ vocare pastores; tunc oues præpostero ordine sunt supra pastores, & discipuli supra Magistrum suum: contra illud Christi, Matth. 10. v. 24. *non est discipulus super Magistrum suum, &c.*

In Ecclesia seruandus est Ordo.

Non est discipulus supra Magistrum suum.

Christus enim sic suam ordinauit Ecclesiam, vt certi essent Magistri, Doctores, & Pastores, alij verò essent discipuli & oues, ab illis docendi & pascendi. ad Ephes. 4. v. 11. & quidem ad ædificationem *Corporis Christi*, in quo omnia *secundùm ordinem* fieri debent. 1. Cor. 14. v. 40. Quid autem magis ab ordine alienum, quàm si discipuli iudices sint Doctorum suorum & Magistrorum ratione doctrinæ? quid magis ineptum, quàm si oues examinent Pastores suos? quid magis monstrosum, quàm si pedes de capite iudicare velint? an non Apostolus 1. Corinth. 12. expressè distinguit officia membrorum in Corpore Christi? an non peculiare munus tribuit pedi? & aliud capiti? Certè capitis est iudicare, pedis autem ambulare, ideò addit: nunquid omnes Apostoli? nunquid omnes Prophetæ? &c.

Ad

Ad syllogismum respondeo distinguendo. Cui° est discernere Doctores à Seductoribus, & probare sanam doctrinam, &c. iudicio determinatiuo & authoritatiuo, illius est vocare Ministros Ecclesiæ, concedo maiorem: Cuius est discernere Doctores à Seducto-ribus,&c. iudicio tantùm simplicis fidei, aut etiam intellectiuo, illius est vocare Ministros, nego Maiorem.

Quomodo oues possint iudicare de doctrina suorum pastorum.

Sed ouibus Christi, siue auditoribus hæc omnia incumbunt, distinguo: iudicio simplicis fidei, vel etiam discretiuo, seu intellectiuo, concedo minorem; iudicio authoritatiuo, ac determinatiuo, nego minorem.

Ergo auditoribus & ouibus etiam competit ius vocandi Ministros, Nego consequentiam.

Vt hoc clariùs intelligatur, notandum est, iudicium de rebus fidei esse triplex.

Primum Iudicium est simplicis assensûs, sed firmum, qualis est fidei. Qui enim firmiter aliquid credit, hoc quod credit, indubitatè verum esse iudicat. Sic omnes fideles instructi à pastoribus de fide, iudicant ea, quæ credunt, vera esse. Quo sensu S. Augustinus de Agone Christiano, c. 4. ait: *Qui fidem Catholicam benè didicit, & verâ pietate munitus est, quamuis hæreses nesciat, hæreticis tamen respondet. nec enim decipi potest, qui jam cognouit, quid pertineat ad Christianam fidem, quæ Catholica*

Notetur triplex iudicium de doctrina fidei.

lica dicitur; Hoc autem fit propter authoritatem Ecclesiæ ab Apostolis huc vsque continuatæ, quam omnis pius humiliter amplectitur.

Secundum Iudicium de doctrina fidei est *discretiuum*, quoad intellectum eorum, quæ creduntur ex suis principijs, causis, & effectibus. *Fides enim præcedit intellectum, vt sit intellectus, fidei præmium*, ait S. Augustinus de verbis Dom. serm. 5. Non enim omnes qui credunt, mox, quod credunt, discretè satis cum suis causis intelligunt, sed illi tantùm, qui, vt ait Apostolus ad Hæbreos 5. v. 14. *pro consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni ac mali*; istos autem *perfectos* vocat idem Apostolus ibid. *quorum est solidus cibus*: quia etiam credunt *spiritualiter*, hoc est *intelligenter*. è contrario autem alios, qui simpliciter tantùm credunt, vocat *parvulos carnales, lacte adhuc nutriendos*, & solidi *cibi* incapaces: sicuti sunt & alij, qui nec credunt, nec intelligunt; quales sunt Iudæi & gentiles, quibus verbum crucis aut est *scandalum*, aut *stultitia*, quod *in nobis Dei virtus est*. 1. Corinth. 1. v. 18.22. Est autem in nobis Dei virtus siue simus *carnales parvuli, id tantùm credendo tenentes; sive spirituales capaciores, id etiam intelligendo cernentes; & quidem illis est tanquam lacteus potus; his tanquam solidus cibus*, inquit idem sanctus Aug. Tract. 98. in Ioan. alludens vtique ad illud Apo-

Apostoli 1. Cor. 3. v. 1. *non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus: tanquam parvulis in Christo, lac vobis potum dedi, non escam: nondum enim poteratis; sed ne nunc quidem potestis, adhuc enim carnales estis.*

Tertium iudicium est *determinativum*, quoad *authoritatem iudicandi* de fide à Deo acceptam, quo sensu S. Iacobus Act. 15. in Concilio dixit, *Ego iudico non inquietari eos, &c.* Hoc iudicium ad solos præpositos Ecclesiarum pertinet, qui non solùm sunt spirituales, quia Spiritum Christi habent, vt omnes Christiani, sed etiam quia Spiritum S. habent, eo sensu, quo Christus dedit Ioan. 20. & postea per impositionem manuum Apostolicarum in creandis Episcopis. 1. Tim. 4. &, 2. Tim. 1.

Quomodo oues de doctrina suorum pastorum iudicare possint.

Ex his *Iudicium* primo & secundo modo ad plebem & populum spectat; non quòd vtrumque sit cuiuis ad salutem necessarium, sed sufficit iudicium primo modo, plerisque ex plebe, vnà cum certa cognitione Doctorum fidei: Reliquis Doctoribus Laicis etiam conuenire potest iudiciũ 2. modo. De plebe est illud S. Augustini, c. 4. contra epist. Fundam. *Turbam fidelium non intelligendi vivacitas, sed credendi simplicitas tutam facit.* Cæterùm propter neutrum horum duorum iudiciorum multitudo habet ius vocandi Ministros; quia neutrum est cum authoritate, & potestate *determinativa* coniunctum; sed solis præ-

præpositis Ecclesiarum hoc competit. Hinc cognoscitur, quomodo in Scriptura locis citatis mandetur ouibus, vt *attendant à falsis Prophetis:* vt *vocem veri Pastoris audiant, &c.* per hoc enim non præcipitur, vt suorum Magistrorum & Pastorum doctrinam ipsi authoritatiuè iudicent, sed vt cum sua simplicitate columbina etiam habeant prudentiam serpentinam, & *suis præpositis obediant*, Hebr. 13. iuxta regulam fidei, & doctrinam in Catholica Ecclesia à tot sæculis receptam, & continuè ab Apostolis propagatam.

Ad III. Dico, id esse argumentum simile huic. Janitor vrbis (vt de lictore taceam) est minister totius vrbis: Ergo iure diuino debet à tota vrbe, adeóque etiam à ciuibus omnibus & feminis eligi & constitui. *Seruus in domo est minister totius domus.* Ergo non potest constitui, nisi cum consensu omnium domesticorum. Quis non rideat hanc consequentiam? Quod autem simile sit huic, liquet ex Thesi Gerardi, quam ipse probandam initio suscepit; nempe *electionem & vocationem ministrorum Iure diuino ita ad vniuersam Ecclesiam spectare, vt sine populi consensu & suffragio legitimè fieri non possit.* Et hanc thesin deinde probat istis 7. argumentis. Si ergo hæc ratio de ministro Ecclesiæ totius, valet ad probandum hoc loco ius diuinum, valebit etiam in propositis exemplis de famulo

domûs

domûs, & de ianitore vrbis, &c. quia ratio eſt vtrobique eadem.

Non nego, miniſtrum Eccleſiæ iure diuino debere ab Eccleſia eligi & vocari; ſed ab Eccleſia quoad præcipuam eius partem, hoc eſt, quoad Prælatos: non ab Eccleſia quoad omnes eius partes, etiam infimæ plebis, & hominum ſæcularium.

Ad IV. Reſp. Quod omnes tangit, omnium eorum conſenſu & ſuffragijs peragi debet, quibus competit ius ſuffragij, concedo: quibus non competit, nego. Sed miniſtros idoneos & orthodoxos eligi, tangit omnes Eccleſiæ ordines; eodem modo, nego; diuerſo modo, concedo. Deinde negatur conſequentia. alijs enim competit per modum teſtimonij, alijs per modum iudicij.

Ad V. Concedo maiorem: nego minorem, ſi ſenſus ſit, Apoſtolos ſic vocâſſe miniſtros, vt niſi accederet populi conſenſus, iure diuino irrita eſſet electio & vocatio. Hoc neutiquam probant loca allegata ex Scriptura.

Ad VI. & VII. In Effugio 4. ad arg. 2. & 4. & in prænotandis ad Effugium 2. & 4. ſufficientiſſimè reſpondetur, videatur Bellarminus, lib. 1. de Clericis c. 7. Stapletonus in Relect. Controuerſia 2. q. 1. 2. & 3.

Hinc *Corollaria* quædam deducamus.

1. Epiſcopos iure diuino eſſe presbyteris,

seu sacerdotibus superiores, quod ex dictis patet.

II. Nullum verum sacerdotem esse, qui non sit ab Episcopo ordinatus. Ita semper docuit & tenuit Catholica Ecclesia huc vsque ab Apostolis, nominatim Dionys. Areopagita, Ecclesiast. Hierarch. c. 5. S. Ignatius Mart. Epist. ad Smyrnens. Sixtus 2. epist. 2. c. 3. Eusebius Papa epist. 3. Concil. Ancyranum can. 13. Eusebius Cæsarien. Eccl. Hist. lib. 6. c. 17. Concil. Antiochenum, Can. 9. Basilius M. in Anaphora Syriaca. Epiphanius Hæresi 75. contra Aërianos. Ambrosius de sacerdot. dignitate; & in c. 2. 1. Corinth. denique non tantùm sacerdotes ab Episcopis, sed etiam Episcopos debuisse ab Episcopis ordinari, innummera habentur in antiquitate exempla; vt ne vnus quidem proferri queat, qui in veteri Ecclesia vel à sæculari potestate Episcopus aut presbyter, vel in presbyterum ab alio sacerdote non Episcopo, ordinatus fuerit, vbi non reclamauerit tota Ecclesia. vti paulò superiùs in Effugio 3. resp. ad 1. ex S. Athanasio Colluthus & Ischyras nos docuit.

Ista Corollaria ostendunt nullam esse legitimam vocationem ministrorum apud aduersarios, & ideò nec Eucharistiam, nec panitentiam ab illis legitimè administrari.

III. Ritè & validè nec sacram Eucharistiam confici, nec ablolutionem à peccatis dari posse, nisi à vero sacerdote, qui fuerit à vero Episcopo initiatus & ordinatus. Cùm enim verum Episcopum, vel sacerdotem legitima ordi-

ordinatio efficiat, vbi hæc deest, ibi sacerdotium, seu legitimum ministerium esse non potest; consequenter nec legitima Sacramentorum administratio, quæ est secundùm aduersarios *Nota essentialis* Ecclesiæ.

Commiseratione igitur digni sunt Protestantes, qui quàm longissimè absunt ab ijs salutis medijs, de quibus quàm maximè, sed vanissimè gloriantur.

VI. Effugium Photinianorum, &c. maximè Ostorodi.

NOui Photiniani & Sociniani, qui cupiunt esse fratres Protestantium, vt suam nouam sectam defendant, defendunt etiam, nullâ peculiari vocatione ad ministerium obeundum opus esse; aduersus quos ex Lutheranis Iosue Stegmannus professor Schavvenburgicus scripsit, Francof. an. 1626. in 8. sub titulo *Photinianismus*, disp. 53.

Argumenta Ostorodi consistunt maximè in *exceptionibus* contra nostras probationes.

EXCEPTIO I. Ad locum Ierem. 23. v. 21. *Non misi Prophetas, & ipsi currebant, &c.* regerit *Ostorodus* in Instit. c. 42. illum nihil ad rem facere, cùm de ijs agat, qui se Prophetas iactabant à Deo missos, vt noui aliquid & singulare populo annuntiarent. Nunc autem nihil noui, sed antiquam Euangelij doctrinam à se proponi. Ergo non opus esse singu-

lari vocatione. Eódem collineat Socinus in Tract. de Eccles. cùm ait, Verbi Dei ministris, qui cum Ecclesia Romana aut Græca non consentiunt de ministerio vel vocatione litem moueri non posse, cùm non se gerant pro nouis Christi Apostolis ac Prophetis, nec inauditam priùs Mundo doctrinam annuntient, neque ex nouis principijs, sed ex Scriptura ab omnibus recepta sua doceant.

RESP. I. Etsi daremus, nil noui adferre istos (quod tamen omnibus modis negamus) nihilominus vim haberet Prophetæ dictum. Nam diuina missio per se non requiritur tantùm ad prædicandam nouitatem, sed etiam ad prædicandam Euangelicam veritatem; 2. Corinth. 5. v. 20. *pro Christo Legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos.* Legati autem partes nemini licet, sine voluntate legantis suâ sponte sumere; de quocunque genere rerum agatur. Sic & sacerdotes V. T. non proferebant nouam doctrinam: neque tamen docere audebant, sine *vocatione*, 2. paral. 29. v. 9. 10. 11.

II. Falsissimum est, istos, siue Socinianos, siue Photinianos nihil noui adferre. Non tantùm nos Catholici hoc negamus, sed & Lutherani, vt testantur plurimi illorum libri contra Photinianismum & Socinianismum & VVeigelianismum, à 30. annis editi, quos Dilingæ habui, hîc autem eorum copiam habere non potui.

Ex-

EXCEPTIO II. Ad locum Rom. 10. v. 15. *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur?* excipit *Ostorodius* in Instit. c. 42. Paulum duntaxat de suo tempore loqui, cùm adhuc noua & inaudita esset Euangelij doctrina: nunc aliam esse rationem. Idem repetit Theophil. Nicolaides in Defens. Tract. Socini de Eccles. & minist. miss. aduers. Miedzebouium, c. 1. p. 140.

RESP. Vanissimám esse exceptionem, vt patet ex ijs quæ præmisit eod. loco Apostolus. v. 9. 10. 11. 12. 13. & 14. Quæ omnia sunt generalia, & vniuersaliter accipienda; cur ergo non etiam illa quæ v. 15. cum prioribꝰ cohærentia subiunxit? Est enim Climax & pulcherrima gradatio, dum ait, *Omnis quicunque inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Quomodo ergo inuocabunt, in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei, quem non audiêrunt? aut quomodo audient sine prædicante? Quomodo verò prædicabunt, nisi mittantur?* Ita Paulus. Hæc certè non de solo tempore Apostolorum, sed de quocunque alio, vsque ad finem Mundi vera sunt & erunt, nec patiuntur vllam exceptionem.

EXCEPTIO III. Ad locum Hebr. 5. v. 4. *nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron*: respondet Theophil. Nicolaides lib. cit. c. 1. de Eccl. I. Apostolũ tantùm de honore sacerdotali, qualis erat

Aaronis, loqui, quod ex ipso textu conspicuum sit; at longè aliam esse rationem muneris docendi alios, in quo sit plus laboris semper, quàm honoris. Iam verò laborem aliquem sumere, semper laudabile fuisse. II. De eo, qui est aptus ad docendum alios, & vitæ est inculpatæ, non potest Iure dici, quod sumat sibi munus docendi, vel honorem illum, qui est in munere docendi, cùm is sumat aliquid, qui id, quòd ei non debetur, sibi arrogat; sed ei qui est ad docendum aptus, & vitæ inculpatæ, debetur illa dignitas vel munus, adeò vt siquis talis sit, & alios docere nolit, grauissimè peccaturus sit. III. Similiter & Radeccius in Notis ad librum Smigl. de Nodo Gordio.

Explicatur locus Apostoli, nemo sumit sibi honorem, &c.

RESP. Iterum ex textu liquidissimum est, regulam Apostoli esse generalem, quam exemplo Aaronis tantùm explicat. Laborem quidem priuatum sibi sumere, esto, fuerit semper laudabile; publici autem officij labores nemo absque vocatione debet suscipere, & qui susciperet, ab alijs non tolleretur.

EXCEPTIO IV. I. Si licet concupiscere munus alios docendi, falsum est expectari necessariò debere, donec aliquis ab alio mittatur. At verum prius: 1. Timoth. 3. v. 1. *Si quis Episcopatum desiderat, &c.* Nicolaid. in Defens. Socin. de Eccles. c. 1.

II. Acce-

II. Accedunt exempla eorum, qui à morte Stephani hinc inde disperſi Euangelium non miſſi ab Apoſtolis prædicârunt, Act. 8. v. 4. c. 11. v. 19. vt Philippus Actor. 8. v. 26. Apollo Actor. 18. v. 24. niſi enim perſecutio accidiſſet, vrbe patriâ nunquam exijſſent. Ergo licet non miſſo, tunc etiam cùm ordo ſeruatur, & à doctrina recepta non receditur, Euangelium prædicare. Socin. de Eccleſ. f. 17. Oſtorod. Inſtit. c. 42.

An liceat concupiſcere Epiſcopatum.

III. Opus charitatis Chriſtianæ quilibet in Eccleſia etiam ſine ſpeciali vocatione, exercere poteſt. At opus charitatis eſt ad Apoſtolicam doctrinam & Chriſti Euangelium complectendum & retinendum alios hortari, & illis ſalutis viam oſtendere. Socin. de Eccleſ. pag. 14.

RESP. I. Qui Epiſcopatum deſiderat bono fine, & cum debitis circumſtantijs, bonum opus deſiderat, concedo: qui malo fine, & non cum debitis circumſtantijs, nego. neque vlla eſt ſequela; licet concupiſcere Epiſcopatum bono fine & cum debitis circumſtantijs; Ergo non neceſſariò debet quis expectare vocationem: hæc enim conditio includitur in circumſtantijs debitis, vt quis ab alijs legitimè mittatur. & ſi ſine his deſideret, malè deſiderat. Qui ergo rectè deſiderat Epiſcopatum, deſideret etiam id, quod eſt neceſſariò requiſitum ad Epiſcopatum,

adeóque illum desideret etiam cum onere suo: ideóque expectare necessariò debet actualem vocationem; alioqui iudicio proprio in Ecclesiam se intrudit, & sumit sibi potestatem ac officium illegitimè, quod nullo iure est concessum.

II. Etiamsi in actis Apostolorum, locis cit. non exprimatur illorum qui prædicauerunt, missio, non tamen rectè concluditur, illos non missos prædicâsse. Quia Philippum Euangelistam ab Apostolis fuisse missum, docet Gratianus Prosper, & ipse Photinianus, in *Instrumento doctrinarum, &c.* reliquis Socinianis in hoc contradicit: & inde clarè colligitur, quòd Philippus ille vocetur *Euangelista*, Actor. 21. v. 8. similiter, quòd Apollo vocatus fuerit, ex eo manifestum est, quòd Paulus ipsum collegam agnoscat, inquiens, *Ego plantaui, Apollo rigauit, &c.* 1. Cor. 3. v. 6. Quare in Corinthiaca Ecclesia quidam ab eo non minùs, quàm alij à Petro & Paulo se denominârunt. Cùm ergo etiam, Actor. 13. v. 3. Paulo & Barnabâ segregatis ad docendum, reliqui priùs quàm abirent isti, manum imposuerint, quis credat, communem illam consuetudinem mittendi per manuum impositionem in Philippo & Apollo fuisse intermissam & neglectam?

III. Opera charitatis quædam sunt omnibus communia, quædam certis personis in officio

officio publico constitutis propria. Illa quilibet sine vocatione potest exercere: hæc minimè. Charitas enim Christiana ità exercenda est, ne violetur ordo diuinitus institutus. Sicut Magistratum gerere, opus bonum est; *cùm sit Dei minister tibi in bonum*: Rom. 13. v. 14 Nemini tamen licet se intrudere in hoc officium; vt nouit totus Orbis.

Hæc aduersùs *Photinianam* & *Socinianam* nouam sectam: contra quam in plerisque nobiscum sentit *Stegmannus* Lutheranus, loco supr. cit.

Effugium VII. Melchioris Nicolai.

DIcere legitimam vocationem ita necessariam esse, vt sine illa, nec Sacramentum altaris, nec absolutio à peccatis ad salutem valeat, est *contra ius totius populi Christiani*, de quo 1. Petri 2. v. 9. 10. dicitur, *Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis; vt virtutes annuntietis eius, qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen suum, &c.* Quid est autem *annuntiare virtutes Dei*, nisi prædicare Euangelium? Nemo igitur est ex toto populo Christiano, cui non competat hoc ius prædicandi Euangelium.

An sine legitima vocatione Sacramentum altaris & absolutio à peccatis valeat?

Est quidem inter *ius* & *exercitium* illius aliquod discrimen, ita vt nemo id exequi de-

 beat,

beat, quod non illi soli, sed toti sacerdotali communitati conuenit; attamen temeritas est dicere, si hoc aliquis faciat, illum actum esse irritum, nec posse inde sequi veram fidem, veram Sacramentorum administrationem & absolutionem à peccatis, quantumuis aliquis cum vera pœnitentia & fide in Christum, sit confessus: Virtus enim Sacramentorum & diuini verbi non dependet à qualitate hominum, sintne boni an mali, vocati an non vocati, sed ab ordinatione Dei: Euangelium est virtus Dei, ad saluandum omnes in id credentes. Baptismus est lauacrum regenerationis; quia à Deo est institutus, non quia à vocato vel non vocato confertur: In Cœna datur nobis corpus Christi & verus sanguis, non quia à vocato, vel non vocato datur, sed quia sic à Christo est institutum. Etiam naturalis ordo non mutatur secundùm qualitates hominum. Quia infans manet infans, etiam si ex spurio semine generetur illegitimè. Triticum manet triticum, etiamsi ab aliquo sit furto ablatum. Cur ergo supernaturalis virtus in Verbo Dei, in SS. Sacramentis mutetur, si mutentur homines? Paulus gauisus est, quòd Christus annunciaretur, siue per occasionem, siue per veritatem. ad Philipp. 1. v. 18. Ita *Melchior Nicolai* VVirtenbergicus contra *speculum Veritatis Brandeb.* f. 884.

RESPON-

RESPONDEO. Vis argumenti est in illis maximè verbis, *vt virtutes annuncietis eius, &c.* vnde videtur Melchior concludere, cuiuis ex populo Christiano, ius esse prædicandi Euangelium, & administrandi Sacramenta, licet quoad exercitium requiratur externa vocatio. *Errat Melchior.*

Sed errat I. Nam & feminæ sunt de populo Christiano, & tamen in Orthodoxa Ecclesia inauditum est, feminis vllum ius competere, vt possint publicè, & ex officio prædicare Euangelium, & Eucharistiam conficere, nec non à peccatis absoluere; Quia, *Mulieres* (inquit Apostolus 1. Cor. 14. v. 34.) *in Ecclesia taceant: non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, sicut & lex dicit: si quid autem velint discere, domi viros suos interrogent. Turpe est enim mulierem loqui in Ecclesia: multò turpius mulierem administrare Sacramenta*; Igitur contra S. Petrum Melchior pugnat.

II. Modus *enuntiandi virtutes*, seu laudes Dei, est duplex: I, specialis, & ex proprio officio: II. generalis & ex communi charitate; posterior est omnibus Christianis communis: nemo enim est, seu vir, seu femina, quem non deceat suo loco, & tempore laudes, & gratias Deo dicere, & *narrare virtutes eius, & mirabilia, quæ fecit.* plal. 77. Hinc Esaiæ 12. v. 5. dicitur, *Cantate Domino, quoniam magnificè fecit: annunciate hoc in vniuersa terra.* *Modus prædicandi & enunciandi laudes Dei, est duplex.*

Hoc

Hoc est enim, quod maximè placet Deo, vt omnes frequenter recolant Dei beneficia, præsertim illud, quòd de tenebris infidelitatis & peccati nos duxit in admirabile lumen fidei & gratiæ suæ. Et de hoc modo *annuntiandi virtutes Dei*, loquitur S. Petrus loco cit. ad quem non est opus peculiari aliquâ vocatione. & hæc *annunciatio* consistit in sola Dei laude, ac beneficiorum diuinorum prædicatione, quâ ratione etiam Beatissima Virgo erupit iu pulcherrimum illud Canticum *Magnificat*, laudans Deum saluatorem suum.

Ad priorem verò modum specialem, & ex officio, ac coniunctum cum cura pastorali animarum, & administratione Sacramentorum, nemo habet ius, nisi sit legitimè vocatus & à Deo seu immediatè, seu mediatè constitutus, vt sit *dispensator mysteriorum Dei*. 1. Corinth. 4. v. 1. & peculiaris *Dei minister* 2. Corinth. 6. v. 4. & *Doctor* verus Ecclesiæ *ac Pastor*. Ephes. 4. v. 11. nunquid autem *omnes sunt Doctores? Nunquid omnes virtutes?* 1. Corinth. 12. v. 30. Clarissimum igitur est, ex isto loco S. Petri insulsè carpi speculum Brandeburgicum à Melchiore, quasi id, requirendo vocationem legitimam à ministris Ecclesiæ, toti populo Christiano fecerit iniuriam; non enim imperat hic S. Petrus, vt omnes Christiani publicè prædicent verbum Dei, &c. sed vult, vt vbicunque est occasio;

pri-

priuatim laudent, & extollant beneficia *Dei*; idque non tantùm verbis, ſed quàm maximè bonis operibus Chriſtianis, præſertim coram infidelibus & hoſtibus Eccleſiæ; id quod à mulieribus petit etiam S. Paulus 1. Tim. 2. v. 10. quibus tamen alibi prohibet in Eccleſia publicè loqui.

III. Quæ de Sacramentis Melchior obiectat, dudum à Bellarmino contrita ſunt, lib. 1. de Sacram. in genere c. 24. & 25. contra Lutherum, qui in lib. de priuata Miſſa & vnctione Sacerdotum, anno 1534. defendit, *etiam diabolum ipſum, ſi in ſpecie humana conſecret, Miſſas celebret, à peccatis abſoluat, & tali munere fungatur, iuxta inſtitutionem Chriſti, veram abſolutionem à peccatis, verum Sacramentum corporis & ſanguinis Chriſti accipere; eò quòd fides noſtra, dignitas & efficacia Sacramentorum non pendeat qualitate perſonæ, ſed Chriſti verbo & ordinatione. ſiue igitur vncta ſit, ſiue non vncta, ſiue vocata legitimè, ſiue non, ſiue Satan, ſiue Angelus, ſiue homo, idem efficere, modò ſeruet Chriſti ordinationem.* Ita Lutherus.

Sed pulchrè demonſtrat Bellarminus I. Sacramenta eſſe ſigna & cauſas infallibiles gratiæ; nec habere hanc vim naturaliter, quatenus præcisè elementa & verba ſunt, ſed ſolùm quatenus à Deo aſſumuntur, vt *inſtrumenta* Sacramentalis effectûs per certos & à le deputatos miniſtros. Ergo non ſunt vera Sacra-

Quare non quilibet poſſit validè adminiſtrare Sacramenta?

Sacramenta cùm à quolibet adhibentur, ſed cùm adhibentur ab eo, cui Deus id cum poteſtate committit; quo modo etiam verba, quibus miracula patrabat Chriſtus & Apoſtoli, non à quocunq; prolata habuiſſent eandem virtutem; Dicat enim Melchior claudo alicui, *ſurge & ambula*, an continuò ſurget, vt ſurrexit ad vocem Petri, Actor. 3. v. 7.?

II. Chriſtus non dixit omnibus fidelibus *Hoc facite*: Lucæ 22. nec omnibus, *Quorum remiſeritis peccata*. Ioan. 20. ſed ſolis Apoſtolis & illorum ſucceſſoribus. Igitur cùm alij omnes ſint legitimâ poteſtate deſtituti, nihil in hoc genere efficiunt.

Communiſſima etiam apud aduerſarios eſt doctrina, ad Sacramentum non ſufficere verba & elementa, ſed requiri quoque Dei mandatum. Ita Lutherus in Homil. de Baptiſ. Atqui Deus nuſquam mandauit Laicis, vt conficerent Euchariſtiam, & à peccatis abſoluerent; ſed Apoſtolis & eorum Succeſſoribus.

Sacramentorum efficacia quidem non dependet à qualitate miniſtri accidentali, vt eſt bonitas; pendet tamen ab *eſſentiali*, ſine qua non eſt verus Dei miniſter, etiamſi alioqui ſit, & maneat homo. poteſtas autem legitima adminiſtrandi Sacramenta, eſt qualitas moralis *eſſentialiter* requiſita ad valorem Sacramenti: & talis qualitas per legitimam miſſionem acquiritur.

Nec

Nec obstat I. quòd in necessitate baptismus possit à quolibet homine administrari; id enim fit ob summam eius necessitatem; quandoquidem baptismus ianua prima, & summè necessaria est ad salutem; vti semper docuit Ecclesia Catholica; quæ proinde sentit in tali casu à Deo concessam esse cuilibet potestatem baptizandi, non item in Eucharistia & Pœnitentia.

Nec obstat II. Quòd Paulus ad Philipp. 1. v. 18. gauisus sit *Christum annunciari, quocunq; modo.*

Non enim loquitur Apostolus ibi de non vocatis, & in officium postorale se illicitè intrudentibus, quales sunt lupi & latrones ac hæretici, per posticum ingredientes; sed de mercenarijs, qui quidem erant legitimè vocati, prauâ tamen intentione Christum prædicabant, hoc est, vel propter commodum aut gloriam propriam, vel ex inuidia & odio erga Paulum, quem non poterant ferre aut parem, aut superiorem: de his ait, *Quidam ex contentione Christum annunciant non syncerè, &c.* Nihil igitur hic locus facit ad rem: Et benè notat hîc Hugo Cardinalis, Apostolum dicere, *dummodo annuncietur Christus*, non, *dummodo annuncient Christum.* Quia Christum in genere annunciari bonum fuit, & in hoc gaudendum. Sed illos annunciare Christum prauâ intentione, non fuit bonum. sicut fuit

bonum

bonum Christum pro salute humani generis crucifigi: *Iudæos autem illũ crucifigere, fuit peccatum.* S. Thomas in 2. 2. q. 38. a. 1. ad 2. ait, *Apostolus non gaudebat de eorum contentione, sed de fructu, qui ex hoc proueniebat, scil. quòd Christus annunciabatur: quia ex malis etiam occasionaliter sequuntur bona.*

Effugium speciale

De Vocatione Lutheri, potissimùm ex Melchioris Nicolai somnio.

Status controuersia.

COntrouersia est inter me & Melchiorem Nicolai VVirtenbergicum prædicantem à 30. annis, orta ex *Symbolo Lutherano*, anno 1623. Dilingæ edito, aduersùs quod iste Melchior *Symbolum Lutheranum vindicatum* euulgauit: huic ego anno 1628. opposui *Manuale Lutheranorum*; quod ille rursùs ex parte oppugnauit per duas publicas *disputationes*. Istis veluti parmam obieci *Manuprecium* meum; reposuit ille Manuprecio *Iubar cœlestis veritatis*. Contra huius fictitij *Iubaris* radios defendi me *Vmbellâ*; Hanc *Vmbellam* nouo telo oppugnat Prædicans per *Somnium Vmbellæ*, quod ante annum typis Stutgardianis edidit, in quo potissimùm de *Vocatione Lutheri* agit. Ne ergo *Somniator* iste sit absque Daniele, hîc breuiter *Somnium* illius

lius discutiemus, cùm hæc materia huius loci sit valdè propria.

§. I.

Quæ sit sententia Lutheranorum de Vocatione Lutheri.

VErbis ipsorum Lutheranorum vtar, & quidem eorum tantùm, quorum libros ad manum habere potui. Nam plurimi mihi defuerunt qui tamen idem docent, quos habui Dilingæ.

I. VVOLFG. FRANZIVS professor Academiæ VVitteb. in Saxonia, in Concione *Jubilari*, anno 1617. p. 215. ait: *Quòd verò Lutherus tandem cœperit Papatum reformare, & omnibus Ecclesiis præscribere, ex vnico Dei Verbo, quomodo Deum solum agnoscere, magnificere, & rectè colere, Sacramentáque administrare debeant, juxta Dei institutionem, contra intrusas Papisticas consuetudines, &c. Hujus ab ipsomet Domino Deo habuit MANDATVM, & ad id SINGVLARITER IMMEDIATE EST VOCATVS.* Similia plures alij *Jubilatores* Lutherani, anno 1617. in suis Concionibus *Jubilatorijs* gloriabundè ad populum declamitârunt.

Quo sensu dicant Lutherani Lutherum esse immediatè à Deo vocatum.

II. IACOBVS REIHING apostata, in *Dissert. de Vera Eccles.* f. 16. ait: *Vnde liquet Lutheri vocationem magna ex parte quidem mediatam & ordinariam;*

dinariam; aliqua tamen tenus, respectu admiranda & singularis Reformationis, extraordinariam & IMMEDIATAM fuisse.

III. CONRAD. DIETERICH Vlmensis Præco in Catechett. Inst. edit. 2. Giessæ año 1614. f. 512. 513. ait: *Quotuplex est Vocatio legitima? Duplex. Alia immediata, alia mediata. Quænam est vocatio immediata? Quæ fit ab ipso Deo absq; hominum ministerio. Gal. 1. v. 1. Dicitur aliàs specialis & extraordinaria. Perficit autem eandem Deus vel I. ipsemet sine vllo internuncio, qualis fuit Mosis, Eliæ, Baptistæ & Apostolorum, vel II. adhibitis quibusdam internuncijs; sic Aaronem per Mosen, Elisæum per Eliam vocat: vel III. sorte, vt Matthiam, Actor. 1. 24. De hac seqq. sunt Axiomata. I. Vocationem extraordinariam semper eximia Spiritûs S. dona & testimonia diuina comitantur. Itaque II. simpliciter credendum illis, qui immediatè vocati: quia ab ipso Deo inspirantur. 2. Petri 1. v. vlt. quales fuere Prophetæ & Apostoli. III. Immediata vocatio præcipuè habet locum in constituenda Ecclesia, vel ab erroribus repurganda.*

IV. THEOLOGI Electorales SAXONICI, auctores illius libri, cuius titulus; Nachmalige/vnuermeydenliche vñ gründliche Haupvertheidigung deß Augapffels. Lipsiæ 1631. in 4. f. 927. 928. ex Germanico fideliter reddita hæc habent. *In hac Scriptura ostendimus Dominum Lutherum non habendum pro persona*

persona purè priuata in isto opere (Reformationis *) sed ipse erat currus & auriga Israël, 2. Reg. 2. v. 10. Sicut primus & secundus Elias non fuere purè & merè priuatæ, sed tales personæ, à quarum doctrina alij dependebant, ipsi autem vt Manuductores erant ad Deum, qui in via veritatis durârunt, seu constantes fuerunt. Elias Propheta prorumpebat vt ignis, & ipsius Verbum ardebat vt fauilla. Erat ad id singulariter à Deo ordinatus, vt suo tempore sedaret iram Dei, &c. Sic Ioannes Baptista erat alter Elias, &c. Non aliter res habebat cũ tertio ELIA, præstabili & valdè illuminato instrumento Dei, Beato Domino LUTHERO. Hunc Deus misit, vt & ipse conuerteret corda Patrum, &c. Iste Dominus LUTHERUS erat is, de quo Dominus Jesus vaticinatus est, fore vt omnia recta faceret, siue restitueret, Matth. 17. v. 11. Et erat Angelus, qui per medium cælum volare, æternum Euangelium ijs, qui super terram sedent & habitant, & omnibus gentibus ac linguis annunciare deberet. Apocal. 14. v. 16. Ipse erat angelus, qui de cælo cum magna potestate, claritate suâ totam Terram illustrauit, Apoc. 18. v. 1. 2. Ad Dominum LUTHERUM tanquam ad Germanicum Prophetam, & à Deo ordinatum REFORMATOREM, respectum habuerunt Cæsar, Reges, Electores, & status, &c. Itáq; nullo modo permittimus, vt LUTHERUS veniat in communem censum priuatarum personarum. Erat talis Doctor, cuius TOTAM*

DOCTRINAM Euangelici Electores & ſtatus in communi ardenter PROFITENTUR, præſertim quæ poſt annum 1525. docuit & ſcripſit, &c.

V. Auſtriacus ille Prædicans, nomine Randolphus Francus, qui aduerſùs meum Symbolum Lutheranum quoque ſcripſit, & *Collationem* nuncupauit, de quo ego in *Characteribus* Lutheri, *Auctarium* adieci, ait, f. 125. 126. *Vocationem Lutheri fuiſſe quidem mediatam ratione communis miniſterij docendi: ſed quoad OPUS REFORMATIONIS, & Antichriſti REVELANDI, aliquid PECULIARE habuiſſe; quia Deus multa & magna opera, inquit, per Lutherum præſtitit, non minùs ac per prædictos Prophetas (* Eſaiam, Ieremiam, Eliam, &c. *) ideóq; illius vocatio digito Spiritûs ſancti notata fuit, Apoc. 14. v. 16. Vidi angelum volantem per medium cælum, &c. Quis verò ille Angelus eſt, aut eſſe poteſt, quàm LUTHERUS?*

VI. THEOLOGI SAXONICI quinquaginta & vnus, in Conuentu Naumburgenſi, anno 1561. in ſupplicatione ad Principes ſic habent. *Aliquid valeant & primitiuæ Eccleſiæ Concilia, aliáq; piorum hominum Scripta ac ſententiæ, non tamen tantum, vt vllo modo cum Verbo Dei comparentur. LUTHERI nihilominus conſtans & perpetua ſententia, tanquam electi ORGANI ad inſtaurandum EVANGELIUM DIVINITUS hoc tempore excitati, ceu vltimi Heliæ, plus valeat.* VII. MA-

VII. MATHESIVS Conc. 14. de Vita Lutheri, ait: *Pretioſus Vir Dominus Melanchthon vocat noſtrum Doctorem poſtremæ ætatis Eliam, de quo ſemper fuerit in Eccleſia vaticinium, ante finem Mundi redituru̇ eſſe Enoch & Eliam, & velut duas oliuas pacem, & aduentum Jeſu Chriſti cum magno gaudio prædicaturum.*

VIII. M. CYRIACVS Spangenberg in lib. Concionum, Vrſellis apud Nicolaum Hennium in 4. plurima ſcribit *De pretioſi viri Dei, Domini Martini Lutheri ſpirituali Oeconomia, &c. officio illius prophetico, Apoſtolico, & Euangeliſtæ, & quomodo fuerit tertius Elias, alter Paulus & verus Ioannes, Princeps Theologus, Archangelus Apocalypticus*, c. 14.

IX. MELCHIOR Nicolai in Symbolo Vindicato, f. 251. ait: *Dicimus Lutheri vocationem fuiſſe partim ordinariam, partim extraordinariam*: Et paulò poſt. *Extraordinariam dicimus reſpectu ſingularis illius inſtinctus non fœnatici, ſed ex vocatione dependentis, quo excitatus eſt ad abominationem Idoli Pontificij cognoſcendam, eandem magno Spiritûs feruore & Zelo arguendam, & veritatem Euangelicam à ſuperinductis multiplicibus errorum fœditatibus repurgandam. Nam vt Elias IMMEDIATE vocatus extraordinariè ad peculiarem actum demonſtrationis, Deum Iſraelis eſſe verum Deum, Idolum autem Baaliticum eſſe inane phantaſma, omni diuinâ operatione & potentiâ deſtitutum, excitatus*

est, ita & Lutherus ordinariè vocatus, extraordinariè tamen ad hunc peculiarem actum Antichristi Romani manifestandi, & Veritatis Euangelicæ ab eius sordibus vindicandæ est incitatus, &c. Hactenus ipsimet Lutherani.

§. II.

Quid ex hac Lutheranorum sententia de Lutheri Vocatione, Catholici concludant?

Ex dictis Lutheranorum Catholici concludunt, Lutherum non fuisse pro priuato tantùm Doctore habendum.

HOc nimirum. Si Lutherus fuit à Deo *immediatè* & *extraordinariè* vocatus ad reformandum Papatum, &c. tunc I. In omnibus ijs fuit infallibilis authoritatis, in quibus Ecclesiæ Catholicæ, ac Papatui illiúsque doctrinis varijs hoc tempore *Reformationis* contradixit: eatenùs enim *Reformatorem* egit, quatenùs prætensos errores Papatûs, Orbi patefecit & damnauit: consequenter in ijs ita audiendus & sequendus fuit, sicut S. Paulus & alij Apostoli; qui, quoniam à Deo fuerunt immediatè illuminati & missi ad doctrinam Christianam tradendam, & à fermento veteri ac Iudacio perpurgandam, simpliciter in ijs, quæ ad fidem illam pertinent, ab erroribus fuerunt liberi. Nemo enim errare potest, qui, & quatenùs sequitur Dei nutum, voluntatem, imperium & ductum. Ergo pari ratione Lutherus in

ijs,

ijs, ad quæ in Papatu improbanda, abroganda, mutanda à Deo immediatè & extraordinariè missus, illuminatus ac vocatus est, errori nulli fuit obnoxius, sed omnino infallibilis. Hoc autem Consequens Catholici dicunt esse falsissimum. Scripsit enim multa Lutherus tempore huius Reformationis, quæ sunt abominanda & exsecranda; quorum pudet ipsosmet Lutheranos. Ergo & antecedens est falsum.

II. Omnis Lutheri doctrina, in quantum repugnat Papatui, est pro Verbo Dei habenda, non minùs, quàm Scripta Euangelica, Apostolica & Prophetica. Quia pro Luthero militant eædem rationes & causæ; si est immediatè ad reformandum Papatum missus; quæ pro Apostolis, Euangelistis & Prophetis, sed consequens est falsum: Ergo & antecedens.

III. Lutherus non est habendus tantùm pro Doctore priuato, sed pro publico, cuius tota doctrina ab omnibus Lutheranis recepta & approbata fuit, testibus Theologis Electoralibus Saxonicis. suprà num. 4. Sicut ergo nemini licet fidem Euangelistis & Apostolis abnuere, quòd illi sint immediatè vocati & illuminati ad suum munus, ita nec Luthero, si est à Deo immediatè vocatus, quoad reformationem Papatûs: Quæ omnia in Syllogismum redigo.

Qui ab omnibus Lutheranis conſpiratione magnâ iudicatur & proclamatur extraordinariè ac immediatè à Deo vocatus ad Eccleſiam in fide publicè reformandam, & ab erroribus liberandam, ille non eſt habendus tantùm pro priuato, ſed publico Doctore, cùm ad id cælitùs ſit conſtitutus ac miſſus, vt infallibiliter veram doctrinam Orbi proponat, & falſam refutet; ita vt ei nemo poſſit ſine peccato fidem negare; cùm vox illius quoad reformationem ſit vox Dei, prorſùs infallibilis authorithatis & ab omni errore fidei immunis, ſicuti fuit Prophetarum & Apoſtolorum, &c.

Luheri doctrina, ſi immediatè vocatus eſt, aquiparanda eſt ſacræ Scriptura.

Sed à Confeſſioniſtis, conſpiratione magnâ iudicatur & proclamatur Lutherus ita extraordinariè & immediatè vocatus ad totam Eccleſiam reformandam, &c. vt ex paragrapho 1. patet.

Ergo Lutherus non eſt habendus tantùm pro priuato, ſed pro publico Doctore, cuius tota doctrina quoad reformationem communi calculo omnium Confeſſioniſtarum approbatur, &c. Ergo rectè à Forero Symbolum Lutheranum ex Lutheri Scriptis eſt concinnatum,

§. III.

§. III.

Quid ad ista Melchior Nicolai VVirtenbergicus prædicans re-ſponderit?

I. Fol. 4. *Iubaris* n. 6. ait. *Lutherus nullo modo fuit immediatè à Deo vocatus.* & f. 48. Iub. *Lutherum esse Apostolum nostro iudicio immediatè vocatum, nego*; & f. 51. Iub. *Laurentius per falsi crimen supponit, esse Lutherum, nostro iudicio, immediatè à Deo vocatum, quod Lutheram OMNES constanter negamus.*

II. Fol. 6. *Iubar.* n. 3. *Antecedens nititur, manifesto crimine falsi: Nunquam dixi, nunquam scripsi, Lutherum immediatè, vt Eliam vocatum esse.*

III. Fol. 32. *Somnij*, ait, *Concedo Vocationem Lutheri ad peculiarem actum reuelandi Antichristi fuisse & extraordinariam, & immediatam. Ex eo autem concludi posse, nego: Ergo vocationem eius esse simpliciter extraordinariam & immediatam, & consequenter infallibilem.*

IV. Fol. 30. *Somnij. Quod Saxonici dicunt Lutherum non fuisse purè priuatum Doctorem, sed Eliam tertium, Angelum, æterni Euangelij præconem*, Apocal. 14. 16. *Angelum cælo delapsum, Terram claritate suâ illustrantem, hoc non probat immediatam eius vocationem (nam etiam mediatè vocati dicuntur Angeli.* Apoc. 2.) *sed tantùm imme-*

immediatum ductum & directionem Spiritûs S. quâ opera mediata eius vocationis, ipso longè aliud intendente & cogitante, ad finem reuelationis Antichristi, ipsomet Antichristo, suâ impugnatione opus vrgente, promota sunt. Hoc si animaduertisset Laurentius, facilè perspexisset, quòd Lutherum priuatum Doctorem, respectu mediatæ vocationis non negant, & tantùm non purè priuatum, respectu arcani illius ductûs, confitentur. Accedit, quòd maximè accepta & approbata dicunt, quæ post annum 1525. cùm sapientia & robore Spiritus creuisset, docuit, & scripsit, &c.

V. Fol. 30, 31. *Somnij* ait; *Quod autem VVolffg. Franzius dixit ad reformandum Papatum, eum ab ipso Deo habuisse mandatum, & ad id singulariter, immediatè esse vocatum, hoc itidem ad singularem, extraordinarium, & immediatum ductum pertinet, qui non rarò in scripturis diuinæ jussionis & vocationis nomine venit. Nam Semei certè præceptum expressum nullum habuit, quo juberetur maledicere Dauidi, alioqui non peccâsset maledicendo. Quia autem vsus est Deus malitiâ & effreni linguâ, vt castigaret Dauidem, eámq; ita direxit, vt in eum potissimùm incurreret, ideò agnouit Dauid eum jussum esse arcana & occultâ directione, vt sibi malediceret. Ita præcepit Deus Persis & Medis, sanctificatis suis, & vocauit eos fortes suos, non expresso aliquo præcepto, sed arcanâ & occultâ aliquâ directione ad vastandum terram Babyloniorum. Esaiæ 13. v. 3. & 5.*

VI. Ibid.

VI. Ibid. *Quis ergo miretur Lutherum etiam ſecundùm Reihingum, extraordinariè & immediatè vocatum & ſanctificatum dici, non ſimpliciter, ſed reſpectu admirandæ, & nullis non ſæculis celebrandæ reformationis?*

VII. Ibid. *Nequaquam autem ex illa extraordinaria & immediata ad certum & peculiarem actum vocatione, infallibilitatem quiſquam, ſecundùm Conradum Dieterich rectè concluſerit. Agit enim ille de Vocatione ſimpliciter, quæ extraordinaria & immediata infallibilitatem ſemper connexam habet, non de directione & vocatione ad determinatum actum, cuius longè aliam & diuerſam rationem eſſe, cui cor ſapit, non inficiabitur.* Idem dicendum de *Auſtriaco*, & alijs, &c.

VIII. Fol. 33. *Somnij* ait; *Diſtinguo vocationem immediatam ſimpliciter, & vocationem immediatam reſpectu alicuius certi & determinati actûs. Prior ſi probaretur, Lutherum omninò primatorum DD. ordine eximeret, & totæ Eccleſiæ ſine recuſatione audiendum proponeret. Poſterior ſi probatur, ſtatum & conditionem perſonæ non mutat: ſed tantùm opera ſecundùm illum ſtatum & conditionem, imò etiam præter illam, paſſionibus ſtimulantibus facta ad certum & determinatum finem, agente ipſo non tantùm inſcio, ſed aliquando etiam inuito, & ſi intelligeret, totis viribus reluctaturo, dirigit & deducit. Iſtam Luthero tribuimus, nec tamen infallibilitatem, quam maximè vrget Laurentius, vt nobis qualibet eius dicta, etiam*

etiam in primodio reformationis effusa obtrudat, in eo agnoscimus, sed ad Lydium Scripturæ lapidem omnia eius scripta & dicta appendenda iudicamus.

IX. Fol. 34. *Somnij* ait Melchior; *Dicit Laurentius, Lutherum esse immediatè vocatum nostro iudicio: Ergo nostro iudicio esse infallibilem. distinguo antecedens. Est vocatus immediatè simpliciter, nego: Est vocatus immediatè ad certum & determinatum actum, concedo. Ergo est infallibilis, nego. Nam si Sennacherib, Nabuchodonosor, Cyrus ad certos & determinatos actus vocati, potuerunt modum excedere, & crudelitati insitæ indulgere, circa illa ipsa objecta, ad quæ flagellanda destinabantur, nulla ratio est, cur non potuerit Lutherus, quamuis ad actum reformationis extraordinariè & immediatè vocatus, circa illud ipsum reformationis objectum humani aliquid pati, eáque docere & scribere, quæ progrediente tempore, & dono Spiritûs S. crescente, retractanda ipse iudicaret.*

§. IV.

Oppugantur asserta Melchioris.

Contradictio Melchioris.

AD I. RESP. I. Melchior sibi ipsi manifestè contradicit. Ait enim, *Lutherum NULLO MODO fuisse immediatè vocatum à Deo*; & ait, *Lutherum esse immediatè vocatum à Deo; ad certum actum reformandæ Ecclesiæ, & revelandi Antichristi.* Ergo ait,

ait, etiam *aliquo modo* esse immediatè vocatum à Deo. Immediata enim vocatio ad certum actum reuelandi Antichristi, & reformandi Ecclesiam, est aliquis modus *immediatæ* vocationis; aut Latina lingua non est ampliùs Latina, sed Arabica. Atqui, *nullo modo esse immediatè à Deo vocatum*; &, *aliquo modo esse immediatè vocatum à Deo*, sunt contradictoria: vt omnes Logici nôrunt. Ergo

RESP. II. Qui alterum insimulat *criminis falsi*, & non probat, est *Calumniator*. Melchior hoc facit isto loco: quia in æternum nunquam demonstrabit, Laurentium supponere per crimen falsi, Lutheranorum iudicio, Lutherum fuisse *immediatè vocatum* à Deo. Cur enim opus fuisset ad hoc probandum, *crimen falsi* committere, cùm verba ipsa Lutheranorum §. 1. superiùs allegata id apertissimè & meridiano sole esse clariùs testentur, fidémque abundantissimè faciant pro Laurentio?

Melchior calumniatur.

RESP. III. Melchior in suo toto *Somnio* fallò supponit, & Lectori imponit, ac persuadere conatur, quasi ego dixerim, Lutheranorum iudicio, Lutherum non tantùm ad actum Reformationis fuisse immediatè vocatum, sed fuisse vocatum immediatè *simpliciter*, etiam extra illum actum: id quod nunquam dixi, nunquam scripsi; sed semper expressè addidi, Lutheranos docere, Luthe-

Melchior imponit Lectori.

rum

rum esse *immediatè vocatum, quoad actum Reformationis & Antichristi reuelandi*, quod verissimum est, illos docere: de immediata autem vocatione *simpliciter*, extra actum reformationis, quam hîc Melchior mihi affingit, ne somniaui quidem.

Probo id prouocando ad *Manuprecium & Vmbellam* meam à fol. 3. vsque ad 10. & ad ipsum *somnium Melchioris* mea verba recitantis, à f. 9. vsque ad 16. &c. ibi inueniet Lector clarè, sæpissimè non aliam *immediatam vocationem*, ex Lutheranorum sententia, me tribuere Luthero, quàm respectu Ecclesiæ in fide reformandæ, & ab erroribus Antichristi liberandæ, & quidem fol. 10. *Somnij*, §. *Qui ab.* §. Ergo quæcunque, §. *Maiorem*. expressa sunt mea verba.

Melchior affingit Forero, quod nunquam dixit.

Item fol. 36. *somnij*, hæc mea leguntur: *Vt enim probarem Lutherum secundùm vos egisse publicam, & non priuatã personã, fuisséq; infallibilis authoritatis & errare non potuisse, in ijs omnibus, in quibus Papatui contradixit, sufficiebat dicere, eum extraordinariam à Deo vocationem secundùm vos habuisse AD OPUS REFORMATIONIS, &c.* In hoc enim consistebat illud opus reformationis, vt *Papatui contradiceret.*

Fol. 37. *somnij* iterum ex Corollario 1. Forerj idem fit euidens. Sic enim habet. *I. Lutherum secundùm Lutheranos non fuisse priuatum Doctorem, sed publicum, ob extraordinariam suam vocatio-*

vocationem, quam quidem ei tribuunt ad actum reformationis, & reuelandum Antichristum, &c. Estne hoc Luthero adscribere immediatam vocationem simpliciter?

Fol. 51. *somnij*. refert etiam Melchior mea verba ex Vmbella, pag. 20. *Propterea dicitis S. Pauli doctrinam esse simpliciter & absolutè Christi doctrinã, &c. quia dicitis absolutè, S. Paulum esse immediatè & extraordinariè à Deo vocatum ad illam doctrinam tradendam: sed eodem modo dicitis absolutè & simpliciter, & non tantùm sub conditione, Lutherum fuisse immediatè & extraordinariè vocatum à Deo ad hanc doctrinam Papatui contrariam ac reformatricem Ecclesiæ tradendam: Ergo eodem modo sequimini Lutheri doctrinam absolutè & simpliciter, non autem tantùm conditionatè, si & quatenus ipse sequitur Christum, sicuti sequimini absolutè S. Pauli doctrinam.*

Fol. 52. *somnij*. Iterum ex Vmbella mea recitat Melchior hæc verba: *Falsum est II. non esse in articulis Symboli Lutherani, quæ quocunque modo Lutherus vel illius asseclæ ex Lutheri mente* NB. *(QUATENUS FUNGEBATUR OFFICIO REFORMATORIS) tradiderunt: Cùm omnia illa apud vos debeant esse infallibilis veritatis, & à nemine vestrûm possint repudiari. quare nec à Symbolo vestro sunt reijcienda. Impossibile ergo est, vt aliquis extraordinariè & immediatè à Deo MISSUS AD TRADENDAM*

Ex his manifestum est, Melchiorem Forero facere iniuriam.

DAM CERTAM DOCTINAM ET REFORMANDAM ECCLESIAM, qua talis, *DOCEAT AUT SCRIBAT FALSUM, & Propheticis ac Apostolicis Scriptis non conformare; alioqui nec Prophetis, nec Apostolis fuisset infallibiliter credendum, &c.*

Fol. 54. *somnij* ita refert mea verba Melchior ex *Vmbella*, pag. 21. 22. *Omnia illa, quæ Lutherus, vt REFORMATOR ECCLESIÆ & reuelator Antichristi ad id extraordinariè & immediatè à Deo vocatus (quemadmodum etiam tui Lutherani loquuntur) docuit & scripsit, ingrediuntur Symbolum Lutheranum, & in articulis illius numeranda sunt: quia omnia illa, ex vestra hypothesi, quòd sit AD ID extraordinariè & immediatè vocatus, sunt verbo Prophetico & Apostolico consentanea, &c.*

Fol. 56. *somnij*, ex pag. 23. *Vmbellæ* ista leguntur Foreriana. *Neque ego posui in Symbolo Lutherano alia Lutheri dicta, nisi quæ ille tanquam REFORMATOR ECCLESIAE & REVELATOR Antichristi (vestro iudicio) extraordinariè & immediatè à Deo missus, inspirante vtique Spiritu S. Catholicæ nostræ doctrinæ contraria, tanquam omnibus fidelibus necessariò credenda tradidit, docuit, &c.*

Ex his allegatis Locis indubitatò potuisset Melchior, si voluisset, perspicere, mentem meam non esse aliam, quàm Lutherum, Luthe-

theranorum judicio, esse *immediatè vocatum à Deo ad certum Actum reformationis tantùm*, & ad doctrinam Papatus destruendam; non autem esse immediatè vocatum alio modo, quem nunc Melchior comminiscitur. Licet enim dixerim, Lutheranos absolutè & simpliciter docere, Lutherum fuisse immediatè vocatum à Deo ad *Reformandam Ecclesiã*, non tamen hinc sequitur me dixisse, Lutherum fuisse *immediatè simpliciter Vocatum* in sensu Nicolaitico: quia hæc duo sunt diuersissima. Prius verum esse demonstrant Lutheranorum testimonia supra adducta: posterius nunquam ex calamo meo emisi.

Ad II. Aio. Quâ fronte audet Melchior hoc dicto sequenti chartam incæstare? *Nunquam dixi, inquit, nunquam scripsi Lutherum immediatè, vt Eliam vocatum esse?* an non meminit, se dixisse in Symb. Vindicato, f. 251. *Vt Elias immediatè vocatus, extraordinariè ad actum demonstrationis, Deum Israelis esse verum Deum, &c. excitatus est, ita & Lutherus ordinariè vocatus, extraordinariè tamen ad hunc peculiarem actum Antichristi Romani manifestandi & veritatis Euangelicæ ab eius sordibus vindicandæ est incitatus, &c.* Ergo Melchior dixit, Lutherum esse etiam immediatè vocatum ad actum Reformationis Ecclesiæ, sicut Elias immediatè vocatus est ad actum demonstrationis veri Dei. Melchior enim *immedia-*

Erubescat Melchior, si potest.

tam & *extraordinariam* vocationem non distinguit, sed pro eadem habet, fol. 32. *somnij*, vbi ait, *Concedo vocationem Lutheri ad peculiarem actum reuelandi Antichristi, fuisse & extraordinariam, & IMMEDIATAM.* Fuit ergo eatenus vocationi Eliæ simillima: Nec potest Melchior se tueri per vobabulum incitatus: cùm jam alibi etiam fuerit vsus vocabulo vocatus, & dixerit Lutherum fuisse *immediatè* à Deo vocatum ad reformationis actum.

Ad III. Rectissimè concludo; si Lutheri vocatio fuit *extraordinaria & immediata* ad peculiarem actum reuelandi Antichristi, sicuti fuit Eliæ ad peculiarem actum demonstrandi veri Dei, tunc etiam fuisse infallibilem; Elias enim in illo actu Demonstrationis fuit infallibilis. Cur ergo non etiam Lutherus? Quia vbi est eadem causa, est idem effectus. Sed in Luthero fuit eadem causa infallibilitatis, quæ in Elia: Ergo. Maior per se nota est. Minor probatur. Causa infallibilitatis in Elia quoad illum actum peculiarem *demonstrationis*, 3. Reg. 18. fuit non alia, quàm *immediata* vocatio, mandatum, & reuelatio interna Dei. Sed etiam Lutherus, secundùm vos, habuit eiusmodi immediatam vocationem extraordinariam, instinctũ, illuminationem & reuelationem internam, imò etiam *mandatum* Dei, ad reformandam Ecclesiam,

cleſiam, & ad *Antichriſtum reuelandum*. Ergo, &c. Maior eſt euidens minorem paſſim atteſtantur Encomia veſtra Iubilatoria de Luthero, & teſtimonia jam citata.

Ad IV. Saxonicorũ Electoralium Theologorum verba clariora ſunt, quàm vt vel ipſa impudentia illa ſuis gloſſis obſcurare queat: proinde contra ſtimulum calcitras Melchior. Iudicet æquus Lector, an non ſimpliciter, illi Lutherum à priuatorum numero eximium aſſerant? An non Eliæ & Ioanni Baptiſtæ eum ratione vocationis & muneris perfectè comparent & adæquent? & quidem, quod ad Eliam attinet, non ſolùm quoad actum illum demonſtrationis, veri Dei, ſed abſolutè & vniuerſè; ita vt dicant, Lutherum a Deo ſingulariter Mundo datum fuiſſe, ad hunc finem, vt per illum, iuxta Chriſti vaticinium, *omnia in Eccleſia reſtituantur, omnibúſq; gentibus ac linguis Euangelium annuncietur, & nemo ſit, qui ab iſto Reformatore tanquam à Duce & directore in via veritatis, dependere non debeat.* Quid oblecro; tribuitur Eliæ, quod non ampliſſimè hîc Luthero tribuatur? num Apoſtoli & Prophetæ alij plus habuerunt? Vnde ſic argumentor. *Elias & Ioannes Baptiſta* fuerunt immediatè, verè & propriè à Deo vocati, & certâ poteſtate ac mandato inſtructi ad ſuum munus peragendum. Sed, *non aliter res ſe habebat cum Luthe-*

Saxonicorum Electoralium de Extraordinaria Lutheri vocatione, inſtar Eliæ & Ioannis Baptiſtæ, ſunt clariſſima verba.

ro, inquiunt Saxonici. Ergo ex illorum sententia, Lutherus est immediatè verè & propriè vocatus à Deo, legitimáque potestate instructus ad suum munus; Ergo Lutheri immediata Vocatio non tantùm consistebat in arcano illo ductu immediato, ac directione Spiritus S. quâ opera mediatæ eius vocationis, ipso aliud agente & cogitante ad finem Antichristi reuelandi, promota sunt, vt Melchior nugatur. Nam aliud est *Vocatio* propriè dicta ad officium pastorale & Doctoris Ecclesiæ, (de qua hîc disputamus cum Lutheranis dicentibus, Lutheri vocationem fuisse partim mediatam, partim immediatam & extraordinariam) aliud est *arcanus* iste ductus & immediata directio S. Spiritus, quâ actiones hominum à Deo occultè ad certum finem, nobis etiam non aduertentibus diriguntur. Hæc ad prouidentiam diuinam tum particularem, tum generalem pertinet, & locum habere potest non solùm in quolibet homine, sed etiam in quocunque negotio, vt nempe Deus immediatè & hominem & opus illius dirigat iuxta suam imperscrutabilem sapientiam, ad eum Episcopũ, quem ipse sibi proposuit, illo homine nihil de tal euentu cogitante, vel intendente; quemadmodum direxit venditionem Ioseph factam à fratribus, & deinde à Madianitis, Genesi 37. v. 28. & 36. & Crucifixionem Filij su Domin

Aliud est immediata vocatio ad munus Doctoris & reformatoris, aliud arcana directio Dei, ad certum finem, in alijs actionibus humanis.

Domini noſtri Jeſu Chriſti à Iudæis. Quis autem, niſi inſanus dicat, Fratres Ioſeph, & Iudæos *immediatè* à Deo propriè *Vocatos* fuiſſe tali vocationis genere, ad huius venditionis & crucifixionis executionem? quo immediatè vocauit Apoſtolos & Prophetas: Igitur omninò extra rem ſunt, quæ affert Melchior de Sennacherib, Cyro, &c.

Porrò. Lutherum fuiſſe priuatum Doctorem, ex mea ſententia, nunquam negaui; habuiſſe autem mediatam vocationem ad actum illum prætenſæ reformationis, nunquam conceſſi. Nullus enim Papa, aut Epiſcopus illũ ritè miſſit, aut vocauit ad illa docenda, quæ contra Catholicos docuit. ab illis ergo nec miſſus, nec vocatus eſt ad Lutheranismum diſſeminandum: proinde eatenus ingreſſus eſt in ouile Chriſti, velut lupus & fur, & latro, non velut legitimus Paſtor.

Ad V. Etiam prouoco ad Franzij verba, qui expreſſè dicit, Lutherum habuiſſe *ab ipſo Deo MANDATUM, & ſingulariter à Deo immediatè vocatum* (prout *immediata* vocatio opponitur vocationi *mediatæ*) *ad reformandum Papatum*; quæ verba nec per exemplum de ſemei, nec de Perſis & Medis rectè explicantur. Nam Eſto, vocabulum *mandatum* in S. Scriptura ſemel ac iterum accipiatur *impropriè* non pro præcepto vero, ſed pro *permiſſione* tantùm, atque arcanâ Dei directione actio-

Franzius Lutheranus docuit, Lutherum habuiſſe mandatum ab ipſo Deo, & immediatè vocatum ad reformãdum.

actionis alicuius ad certum finem, non tamen sequitur etiam Franzium sic accepisse de Luthero, cùm de illius vocatione loqueretur: quin potiùs eum in sua propria significatione id accepisse, ex eo conuincitur, quòd ipsa ratio *Vocationis*, de qua agebatur, hoc postularet. *Vocatio* enim Lutheri singularis ad talem *actum reformationis*, non significat duntaxat instinctum internum qualemcunque, sed collationem etiam potestatis, & reuelationem voluntatis diuinæ cum imperio proprio dicto, ac mandato, vt eiusmodi opus in Ecclesia aggrediatur, Dei authoritate. Et nisi in hoc sensu loquantur Lutherani de Lutheri *vocatione*, decipiunt homines lusu verborum, & interrogantibus Catholicis depomis, ipsi respondent fallaci sermone de rapis. Quia aliud in responsione intelligunt, quàm interrogentur. Vocatio enim vt nos de illa loquimur, est *genus* ad *mediatam* & *immediatam*: & in suo *generico* conceptu includit *collationem potestatis*, & *verum expressúmq; mandatum* aliquid faciendi nomine & authoritate Dei. *Ministros* enim se Dei vocabant Apostoli, & *seruos Iesu Christi, per voluntatem Dei vocatos*, & *segregatos in Euangelium Dei.* ad Rom. 1. 1. Corinth. 1. ad Philipp. 1. *secundùm imperium Dei.* 1. Timoth. 1. Nunquam autem demonstraueris, hæc propriè & sine tropo de Semei, de Persis & Medis dicta esse, aut

dici

dici posse. Igitur nihil penitùs illa ad rem faciunt pro vocatione Lutheri, quem *immediatè* & *extraordinariè vocatum* missum dicitis, ad reformandam totam Ecclesiam, tanquam *ministrum Christi, & dispensatorem mysteriorum Dei*. 1. Corinth. 4. hoc enim ad reformationem Ecclesiæ requiritur. Itaque necesse est illum à Deo positiuam potestatem, & mandatum expressum ac propriè dictum accepisse ad tanti operis confectionem, sicut acceperunt Apostoli: cùm non sit minoris momenti & moliminis Ecclesiam vniuersam tam fœdè corruptam, erroribúsque deprauatam, & collapsam vestro iudicio erigere, purgare & instaurare, *omniáque in integrum restituere*, quàm à principio fundare, plantare & ædificare. Huic consequens est, Lutherum in hac functione, iuxta Lutheranos, planè Apostolica, non minus fuisse infallibilem, quàm fuerint Apostoli.

Ad VI. Quæ dixi, omnia confirmantur ex eo, quòd Melchior istam Reformationem tantis laudibus in cælum tollit, vt eam *admirandam & nullis non sæculis celebrandam appellet*. Si ita est, profectò vocatio Semei ad maledicendum Dauidi Persarúmque & Medorum instinctus ad deuastandam Babylonem ineptissimè adducitur, vt probetur vocatio Lutheri. Quia nec tantoperè admirandum, nec omnibus sæculis celebrandum factum fuit

istius Semei, quòd in Regiam Dauidis personam tam procacem & maledicam linguam strinxerit; nec tantæ admirabilitatis & inauditæ potentiæ, quòd Persæ & Medi Babylonem deuastrauerint, tametsi id singulari Dei permissu sit factum, sicut multorum regnorum ac ciuitatum euersiones & excidia.

Paritas inter Lutherum & Semei, qui Dauidi maledixit.

Quod si omnino aliquam paritatem inter Semei & Lutherum extundere velit Melchior, hanc illi lubens concesserо, quòd, sicut Semei *positiuè & propriè* à Diabolo impulsus & instigatus est, ad maledicendum Dauidi, non autem à Deo, à quo tantùm permissa est ista maledictio ad hunc finem, vt peccatum Dauidis castigaretur? sic etiam Lutherus sit à Diabolo positiuè & propriè impulsus & instigatus ad suam hæresim disseminandam, Ecclesiámque deformandam. Deo id in pœnam peccatorum tunc à multis Catholicis etiam Ecclesiasticis perpetratorum, iusto iudicio permittente, & viam deformatori aperiente, vti explicat Bellarminus, lib. 2. de amiss. grat. & stat. peccati, c. 13.

Ad VII. I. Falsum est Conradum Dieterich non agere etiam illic de extraordinaria & immediata vocatione ad certum & peculiarem actum, qualem dicitis Lutheri fuisse. Loquitur enim in genere de omni vera vocatione ad ministerium Ecclesiæ: vt demonstrant tituli, *Quæstionum* fol. 511. & seq.

in

in edit. 2. Giess. quorum primus est, *de Vocatione ministrorum Verbi, &c.* Secundus. *Quinam sint Ordinarij Ecclesiæ ministri?* Tertius, *Quæ sit vocatio legitima?* Quartus. *Quotuplex sit vocatio legitima?* vbi respondet, duplicem esse: aliam immediatam à Deo, aliam mediatam, mediante ministerio Ecclesiæ, certo ordine & legibus, &c. Atqui Lutheri vocatio *ad actum Reformationis* Ecclesiæ est vera Vocatio *ad ministerium Ecclesiæ*, secundùm Conradum Dieterich; fuit enim in ea re Lutherus, secundùm vos omnes *minister & instrumentum* Dei: vt verba vestra superius testificantur; der thewre Werck, vnd Rüstzeug Gottes. Ergo de illa quoque agit Conradus Dieterich: qui non facit vllam distinctionem inter immediatam vocationem ad certum & peculiarem actum, & inter mediatam vocationem simpliciter: cùm vtraque sit essentialiter immediata vocatio inspirata à Deo; *Conradi Dieterich sententia de Vocatione Lutheri.*

II. Iste Conradus expressè ait, *Immediata Vocatio præcipuè habet locum in Ecclesia constituenda. VEL AB ERRORIBUS REPURGANDA. Itaq; qui immediatè vocantur: ad certam Ecclesiam non adstringuntur (inquit) sed vbiq; docendi potestate instruuntur.* Quibus verbis clarissimè significat, se non minus de ea vocatione loqui, quâ quis à Deo immediatè mittitur ad *reformandam Ecclesiam*, vt

vos de Luthero gloriamini, quàm quâ mittitur ad eam primitus constituendam, vt missi sunt Apostoli. Apertum igitur est Melchioris mendacium, Conradum non loqui de huiusmodi vocatione.

III. Etiam falsum est secundùm Conradum, Lutheri vocationem fuisse minus amplam, quàm fuerit Vocatio Apostolorum. disertè enim dicit Conradus, illos qui gaudent vocatione immediatâ Dei, siue ad *constituendam*, siue ad *repurgandam ab erroribus* Ecclesiam, *ad nullam certam Ecclesiam adstringi, sed vbiq; docendi potestate pollere*. Æque igitur à Deo immediatè data est potestas Luthero ad reformandam vbique Ecclesiam, atque Apostolis data est ad vbique constituendam. Id quod agnouerunt Saxonici Electorales Theologi: ideò dicunt, Lutherum fuisse illum Angelum Apocalypticum (c. 14. v. 16.) *per quem æternum Euangelium omnibus gentibus ac linguis annunciari debuit*; quique *de cælo cum magna potestate, claritate sua totam terram illustrauit*. an non hoc est tam amplam dare potestatem, quam habuerunt Apostoli?

Inepta & friuola Distinctio Melchioris inter immediatam vo-

Vnde patet, friuolam & ineptam esse illam distinctionem de *Vocatione simpliciter*, & *de vocatione ad certum & determinatum actum*, quæ est Achilles Melchioris in hoc *somnio*. Quasi verò minus fide dignus sit, qui à Deo immediatè ad certum & determinatum actum mit-

titur

titur, quàm qui ad plures actus in genere ab eodem mittitur? an non ad certum & determinatum actum fuit, Exodi 3. v. 10. Moſes vocatus & miſſus, quando illi dixit Deus, *Veni & mittam te ad Pharaonem, vt educas populum meum?* an non certus & determinatus ac peculiaris actus fuit illa demonſtratio veri Dei, ad quam Elias immediatè à Deo vocatus fuit? 3. Reg. 18. an non Ioannes Baptiſta, Marci 1. Lucæ 3. ad certum & peculiarem actum miſſus fuit, cùm ad baptizandum iuxta Iordanem & digito demonſtrandum præſentem Meſſiam mitteretur? Ergonè minùs authoritatis, minùs roboris, minùs fidei habuerunt iſti in determinatis & peculiaribus huiuſmodi actibus, quàm Apoſtoli, qui generaliter ad prædicandum ſunt miſſi? Certè Conradus Dieterich de hac diſtinctione nullum habet apicem.

vocationem ſimpliciter, & vocationem immediatam ad certum actum.

V. Multò minùs agnouit Dieterich dari aliquam *immediatam & extraordinariam vocationem à Deo, ad repurgandam ab erroribus Eccleſiam*, cum qua vocatus non ſit infallibilis; ſed poſſit fallere & falli. Expreſſiſſimis enim verbis dicit, *ſimpliciter credendum ijs, qui immediatè etiam ad reformandam Eccleſiam ſunt vocati, quia* (inquit) *ab ipſo Deo inſpirantur.* 2. Petri. 1. v. vlt. Et nequis ſomniator dicere poſſit hoc non intelligi *de Reformatoribus Eccleſiæ à Deo immediatè Vocatis*; mox ſubdit; *immediatam*

diata Vocatio præcipuè locum habet in constituenda, & ab erroribus repurganda Ecclesia: quã posteriorem functionem Luthero adscribunt Lutherani. Ergo Lutherus etiam fuit infallibilis.

VI. Nec dicat mihi Melchior: Lutherum quidem fuisse immediatè & extraordinariè vocatum, ad reformandam Ecclesiam, sed non *simpliciter*. Nam omnis vera immediata vocatio, quocunque nomine appelletur; siue sit ad actum determinatum & peculiarem, siue ad in determinatum & generalem, est *immediata vocatio simpliciter*, sicut omnis, qui est verus homo, est homo *simpliciter*, non tantùm *secundum quid*. Vera autem Vocatio immediata consistit, secundùm Conradum Dieterich, in *inspiratione diuina*. 2. Petri. 1. Cùm ergo Luthero, secundùm Lutheranos, non defuerit inspiratio diuina; non defuit illi *immediata vocatio simpliciter*. Restat ergo, vt ei quoque non defuerit infallibilitas, quàm sine ratione, sine authoritate Melchior negat, vocationi immediatæ ad certum actum esse coniunctam.

Ad VIII. I. Quid de ista distinctione vocationis *immediatæ simpliciter* & *ad certum actũ* sit sentiendum, jam dixi: nempe illam esse *figmentum Nicolaiticum*, & folia ficus, quæ prætexit tegendæ suæ mendaciloquentiæ, quam in tuendo Luthero commisit: Publicus & non priuatus Ecclesiæ minister est,

quem

quem Deus immediatè & extraordinariè misit ad totam Ecclesiam publicè reformandam, totámque doctrinam Ecclesiæ in integrum restituendam, qualem Lutherum fuisse iactant Lutherani, & quidem absolutè sine vlla restrictione aut conditione: Ergo nihil illi deest, quo minùs sit simpliciter immediatè vocatus ad hunc reformationis actum.

II. Non tamen idcirco status & conditio personæ mutatur in genere naturæ; nam nec in substantia, nec in quantitate, nec in qualitate,&c. mutatur vocatus per eiusmodi vocationem, sed qui fuit antea homo, tricubitalis, albus, vel niger, Pater aut Filius, Vir aut Fœmina, &c. adhuc idem manet, post vocationem, siue sit immediatè vocatus ad *constituendam* Ecclesiam, vt Apostoli, siue ad *repurgandam illam*, vt de Luthero fabulantur Lutherani, siue simpliciter & absolutè, siue ad certum tantummodo actum, &c. In genere moris autem mutatur quidem ratione officij sibi commissi, quia accipit immediatè à Deo potestatem aliquid Dei nomine & authoritate faciendi vel dicendi, quâ potestate antea caruit. Et sic, vt Dei sustinet personam, omnia, quæ illius ductu, directione & ex vi talis Vocatiouis docendo scribit & loquitur, sunt eatenùs (*reduplicatiuè*) ab errore immunia; licet in alijs, quæ *facti* sunt, errare possit, vt manifestè docet exemplum S. Petri, cui in

faciem

faciem reſtitit S. Paulus; *Quia reprehenſibilis erat*. Galat. 2. v. 11. qui tamen error non fuit *doctrinæ*, ſed *facti*. Alioquin tota infallibilitas Apoſtolica corrueret. Si ergo Lutherus fuit *immediatè* a Deo vocatus ad *reformandam* totam Eccleſiam, non minus fuit in ſua reformatione ſibi *immediatè* à Deo commiſſa, infallibilis, quàm Lucas vel Marcus in ſcribendo Euangelio; nam & iſti non fuerunt, niſi ad actum certum & deteminatum à Deo immediatè Vocati; nempe ad *ſcribendum Euangelium hoc* in particulari, quod non ſciremus magis immediato inſtinctu, ductu & directione Dei ſcriptum eſſe, quàm Euangelium Thomæ & Bartholomæi, aut etiam Matthæi & Ioannis, qui Apoſtoli fuêre, niſi Eccleſiæ Catholicæ, quam vos Antichriſtianam inique vocatis, authoritas nobis id teſtificaretur.

Iterum Forero facit iniuriam Melchior.

III. Falſùm eſt, Laurentium *quælibet Lutheri dicta Lutheranis obtrudere*. Alia non obtrudere. Alia non obtrudo, niſi quibus ille Catholicis tanquam *Reformator* contradixit, & noſtram Eccleſiam oppugnauit. Quæ autem vt Reformator ſcripſit, illa ſunt publicæ authoritatis. Hinc etiam inique à me poſtulat Melchior, f. 34. ſomnij, vt probem, *Lutherum eſſe ita publicum Doctorem, cui non poſſint, nec debeant Lutherani vlla in re ac cauſa obluctari*. Hoc nunquam aſſeruit Laurentius;

tius: non ergo debet hoc probare. Sed quod dixit, est istud, Lutherum, secundùm Lutheranos, ita esse publicum Doctorem; cui nec possint, nec debeant vlla in re ac causa (NB.) *quæ ad Reformationem spectat, & quatenus Catholicis in fide CONTRADICIT, obluctari.* Cùm enim ipsi dicant, Lutherum ad reformandam Ecclesiam esse immediatè à Deo vocatum in ea re Dei nomine egit, & consequenter fuit publica persona, & authoritatis infallibilis, vt probaui. Igitur etiam hoc loco fallaciam commisit Melchior, & mihi iniuriam fecit.

Ad IX. Iam ex dictis patet responsio. Quæ de Sennacherib, Nabuchodonosore, & Cyro Melchior ingerit, prorsus nugæ sunt. Plurimum differunt inter se, *Vocatio* propriè dicta pastoralis, cum mandato, & collatione certæ potestatis, quâ aiunt Lutherum esse ad reformandam Ecclesiam immediatè missum à Deo; & illa directio quâ ad certum finem, Reges isti à Deo directi fuerunt, quæ tantùm impropriè & per tropum *Vocatio* dici potest; alioquin dici quoque posset, Turcas & Tartaros *immediatè* & *extraordinariè* à Deo propriè vocari ad Christianitatem infestandam & depopulandam, quoties eam infestant & depopulantur; quod nemo sanus dixerit. Nec refert Scripturam subinde ita loqui, quasi Deus præceperit & mandauerit istis Tyrannis ac persecutoribus tales deuastationes & cru-

Nuga Nicolaitica de Sennacherib, Cyro, &c.

crudelitates; ipsi enim aduersarij coguntur Scripturæ sententias in mitiorem partem *impropriè* interpretari, ne Deum authorem peccati efficiant. Sed Melchiorem vlterius audiamus.

§. V.

Aliud telum Melchioris.

SIc scribit, f. 17. somnij Melchior. I. *Dico Lutherum non posse à Deo IMMEDIATE illuminatum & edoctum videri. Nam qui non sibi, sed Verbo Dei credendum dicit, seque casu, non voluntate in turbas reformandi Papatus incidisse fatetur, & per atroces tentationes è tenebris, quibus tantum non obruebatur, Papisticis, ad clarissimum Euangelij lumen est eluctatus: ille non debet immediate à Deo illustratus videri.*

Atqui Lutherus non sibi, sed Verbo scripto voluit credi, & casu non voluntate, ad reformandum Papatum adductus, & ex tenebris profundissimis, quibus ad insaniam vsq; detinebatnr, ad clarissimam Euangelij lucem, intermedijs tentationibus, emersit.

Ergo immediatè à Deo illuminatus videri. Maior suâ lucè radiat. Nam Prophetæ & Apostoli non ad Verbum scriptum tantùm, sed etiam, ad suum, à Deo immediatè dictatum prouocabant, & ad ea, quæ diuinitùs iubebantur, non casu, sed voluntate ferebantur; nec successiuo modo, qui adhuc aliquid tenebrarum, dum ad lucis splendorem eni-

enititur, admittit, sed momentaneo illapsu illustrabantur. Esaias dicit, cap. 1. v. 2. Dominum locutum esse, quæ ipse loquebatur. Ieremias 1. v. 9. Misit Deus manum suam, & tetigit os meum, & dixit Dominus ad me. Ecce dedi verba mea in ore tuo. Idem furentibus Clero & populo, & ad mortem eum deposcentibus dixit, Dominus misit me ad prophetandum contra domum istam, & contra ciuitatem istam. Sciendo sciatis, &c. Nam in veritate misit me Dominus ad loquendum in auribus vestris omnia verba hæc. Non potest dari vllum dissimile exemplum. Colligitur ergo hinc immota vniuersalis.

Quicunque IMMEDIATE illustrati sunt, eos ad verbum suum, tanquam infallibile Dei verbum prouocare, non casu, sed destinato consilio ad ea, quæ iussu & authoritate diuinâ agenda sunt, ferri, & non successiuo motu eluctando è tenebris ad lucem illustrari. Vnde consequenter infertur, qui casu, non destinato consilio feruntur, & per atroces tentationes ad lumen veritatis enituntur, eos immediatè vocatos non esse.

Minor verbis Lutheri sibimetipsi non detractu-ri probatur. Nam vt præteream, quæ ex Tomo 2. Ien. Ger. f. 92. & ex Tomo 7. f. 287. edit. anni 1556. nullâ adhuc Laurentij discussione ventilata proposui, dicit idem Tom. 1. præf. in editionem suorum librorum: Inuenies in meis scriptis prioribus, quam multa & magna humillimè concesserim Papæ, quæ posterioribus & istis temporibus prò summa bla-

ſphemia habeo, & exſecror. Dabis ergo hunc erro-rem, pie Lector, vel vt ipſi calumniantur, antilo-giam imperitiæ meæ & tempori. SOLVS primò eram, & certè ad tantas res tractandas ineptiſſimus, & indoctiſſimus. Caſu enim, non voluntate ac ſtudio in has turbas incidi. Deum ipſum teſtor.

Idem Tom. 2. eiuſd. edit. de abrog. miſs. priu. *Quot*, inquit, *rogo, medicamentis, quàm robuſta reſina Galaad, quàm potentibus & euiden-tibus Scripturis, meam ipſius conſcientiam vix dum ſtabiliui, vt auderem vnus contradicere Pa-pæ, & credere eum eſſe Antichriſtum, Epiſcopos eſſe eius Apoſtolos, Academias eſſe eius Lupanaria? Quoties mihi palpitauit tremulum cor, & repre-hendens obiecit eorum fortiſſimum & vnicum ar-gumentum; tu ſolus ſapis? tot nè errant vniuerſi? tanta ſæcula ignorauerunt? Quid ſi tu erres, & tot tecum in errorem trahas damnandos æternaliter? Et tandem CONFIRMAVIT ME VER-BIS CERTIS ET FIDELIBVS CHRI-STVS, vt jam nec tremat, nec palpitet: ſed inſul-tet COR MEVM his Papiſticis argumentis, non aliter, atq; tutiſſimum littus minaces & tu-midas procellas ridet, &c. Quomodo ergo in Lu-thero VOCATIONEM IMMEDIA-TAM agnoſceremus, qui NULLA, niſi MEDIATAE SIGNA & veſtigia videmus?*

§. VI.

§. VI.

Retunditur telum Melchioris.

I. *SI nullum, nisi MEDIATAE vocationis signum, aut vestigium in Luthero videtis,* quâ fronte dicitis, Lutherum esse *immediatè* & *extraordinariè* à Deo vocatum *ad Ecclesiam reformandam?* aut enim habetis aliquod peculiare signum & vestigium huius *immediatæ vocationis* ad hunc certum & determinatum *actum*, aut non habetis. Si non habetis, contra conscientiam agitis id affirmando, cuius nec signum, nec vestigium habetis: si verò habetis edite, edicite, illud signum, illud vestigium, quod hactenus non fecistis: nec vnquam facietis. Certè non est causa, cur signum & vestigium talis vocationis in alijs requiratis, & non etiam in vocatione *ad determinatum actum reformationis.*

II. Neque dicas, aliam esse rationem *immediatæ Vocationis simpliciter*, aliam *immediatæ vocationis ad certum & determinatum actum.* Ista enim distinctio jam supra est explosa; & à nullo Lutheranorum à me citatorum agnita, aut insinuata. Nemo enim illorum fuit tam vecors, qui non videret paritatem rationis quoad infallibilitatem, inter *vocationem immediatam Dei simpliciter*, & *vocationem immediatam Dei ad certum actum*; cùm vtrobique

Immediata Vocatio est locutio Dei.

sit idem infallibilitatis fundamentum; nempe *locutio Dei*, quæ semper est vera, siue sit de re aliquâ particulari, siue communi, siue per seipsum Deus loquatur, siue per alios: quia nunquam mentiri potest. Cùm ergo omnis immediata Vocatio vera, & propriè dicta, sit *locutio Dei*, quâ loquitur Deus immediatè creaturæ rationali, illámque mittit, vt Dei nomine ac authoritate aliquid faciat, doceat, dicat, promulget, reformet, instauret, &c. quidquid sic per creaturam facit, per se facere censetur: Hinc licet, Exodi, 3. v. 2. & seqq. dicatur, Moysi apparuisse Dominum, eique locutum esse, tamen Actor. 7. v. 30. legimus, S. Stephanum dixisse, *Moysi in monte Sina, Angelum apparuisse*. Sic & ad Hebr. 1. v. 1. Paulus ait, Deum locutum esse per ora Prophetarum. *Multifariam enim, multisq; modis*, (inquit) *olim Deus loquens Patribus in Prophetis, &c.* Fatetur etiam ipse Melchior, *Dominum locutum esse, quæ Esaias loquebatur*, c. 1. v. 2. & *Dominum posuisse verba sua in ore Ieremiæ*, c. 1. v. 9. Quando ergo Deus aliquem immediatè vocat & extraordinariè mittit ad aliquod docendum, scribendum vel in doctrina reformandum, &c. (licet sit particularis tantummodo actus) Deus per illum loqui, docere, scribere, reformare rectissimè & sensui Scripturæ conuenientissimè dicitur. Ergo, quæ ab huiusmodi *Vocatis*, quà tales sunt, dicuntur,

dicuntur, docentur, ſcribuntur, &c. perinde ſe habent, atque ſi ab ipſo Deo per ſe fierent: adeóque quoad hoc, infallibilis ſunt veritatis. Et hæc eſt baſis, quâ nititur tota fides Chriſtiana, & vniuerſa ſacra Scriptura, nempe diuina locutio, ſeu reuelatio. Cùm enim Canonici Scriptores hanc infallibilitatem non habeant *ex natura ſua*; quia homines fuerunt, ſicut nos; ſed ex ſola *immediata* vocatione, illuminatione, & inſpiratione S. Spiritus, teſte S. Petro. 2. Petri 1. v. 19. 21. (*intelligentes, quòd omnis Prophetia Scripturæ propriâ interpretatione non fit; Non enim voluntate humanâ allata eſt aliquando Prophetia, ſed Spiritu S. inſpirati locuti ſunt ſancti Dei homines*) idcircò pronum eſt intelligere, & planè perſpicuum, ſi Lutherus *ad hunc determinatum Reformationis actum* à Deo habuit *immediatè*, inſpirationem, mandatum, illuminationem, directionem, *Vocationem*, vt vos dicitis, tunc Deum per os & calamum Lutheri locutum eſſe, adeóque eatenùs etiam non minus infallibilis authoritatis Lutherum fuiſſe, quàm fuerint Prophetæ & Apoſtoli; qui in pluribus quoque actionibus particularibus habuerunt ſpeciales, & ſingulares reuelationes & vocationes; & tamen æquè in illis fuerunt ab errore liberi, atque in alijs: vt exempla innummera docent; & ratio conuincit: quia quòd Deus aliquem ad certum & determina-

NB. *Baſis totius Chriſtianæ fidei, eſt locutio Dei, ſiue per ſe, ſiue per Apoſtolos & Prophetas, ſiue per Scripturam, ſiue per Eccleſiam.*

tum actum, vel non ad certum & determinatum actum *immediatè vocet*, nihil prorsùs addit, vel demit Vocati infallibilitati quæ fundatur in sola *immediata vocatione* & missione infallibilis Dei, circa quodcunque objectum. Hinc etiam Christus non aliam causam allegauit infallibilitatis suæ, quàm se *missum* esse à Patre. Ioan. 6. *sicut me misit viuens Pater*. &c. 8. *Qui me misit, verax est*. Ioan. 4. *vt faciam voluntatem eius, qui me misit*. & Ioan. 20. *sicut me misit Pater, & ego, &c.*

Ac sanè si non omni *vocationi immediatæ* Dei, ad *determinatum actum*, esset etiam necessariò coniuncta ista *infallibilitas*, tunc neque Noë, neque Moses, nec Iosue, nec Samuel, nec alij, Prophetæ, quando fuêre (quod sæpissimè factum,) ad *actus determinatos* vocati & missi, fuissent eatenùs infallibilis authoritatis; quod absurdissimum. Quis enim de veritate Scripturæ non dubitaret, quoties Deus aliquos ad *certos* & *determinatos actus* vocauit? Totus liber Numerorum plenus est huiusmodi determinatis missionibus, vt ferè singula Capita sic incipiant: *Locutúsq; est Dominus ad Moysen*; *Dixitq; Dominus ad Moysen, &c. dixitq; ad Aaron, &c.* sic etiam Deuteron. c. 10. *In tempore illo dicit Dominus ad me.* & Iosue cap. 1. *Locutus est Dominus Iosue, &c.* & c. 7. de præuaricatione Achan. c. 8. de ciuitate Hay. Similia leguntur in Exodo. c. 3. 6. 7.

6. 7. 8. 9. 10. 11. 13. 14. 20. 24. 25. 31. 33. 40. & in Leuitico, c. 1. 4. 6. 8. quibus omnibus locis dicitur Deus distinctissimis vicibus, locutus ad Moysen de determinatis actibus. Ex quo est manifestum, Melchiorem, cùm hanc distinctionem cuderet de immediata vocatione simpliciter, & de immediata vocatione ad certum actum, aut non intellexisse, quid scriberet, aut mentis compotem non fuisse, cùm Moyses & Prophetæ maiorem partem, per distinctas visiones, ad *actus determinatos* peculiariter fuerint vocati, missi, & *inspirati*; vt & accidit Isaiæ c. 1. 2. 6. 7. 8. 13. 20. Ieremiæ c. 1. 2. 8. 10. 11. 13. 14. 15. 16. 18. 19. 21. 22. 26. 28. &c. vt plurimos alios Scripturæ libros præteream.

Distinctio Melchioris euertit magnam partem veteris Testamenti, sidemque in plurimis adimit Scripturæ.

III. Ex his liquet, quid de rationibus Melchioris, quibus ille probat, Lutherum non fuisse *immediatè vocatum*, sit sentiendum. nam si aliquid probant, tunc probant plus, quàm velit Melchior, nempe Lutherum non fuisse, etiam ad *certum* & *determinatum actum Reformationis* vocatum à Deo; contra ipsum Melchiorem.

Sic enim argumentor. Quicunque *immediatè* illustrati sunt, illi ad verbum suum, tanquam infallibile Dei verbum prouocant, neque casu, sed consilio destinato ad ea, quæ iussu & authoritate diuinâ agenda sunt, ferun-

runtur: & non ſucceſſiuo motu eluctando è tenebris ad lucem illuſtrantur. vnde conſequenter, qui caſu, non deſtinato conſilio feruntur, & per atroces tentationes ad lumen veritatis enituntur illi immediatè vocati non ſunt.

Sed Lutherus quoad actum determinatum reformationis, non ad ſuum verbum tanquam infallibile Verbum Dei prouocauit, nec deſtinato conſilio, aut momentaneo impulſu, ſed caſu, & ſucceſſiuo motu per atroces tentationes è tenebris eluctando, illuſtratus eſt.

Ergo ad hunc etiam actum determinatum Reformationis non fuit immediatè vocatus à Deo.

Minor eſt Lutheri à Melchiore citati.

Maior eſt ipſius Melchioris, quam ille vocat *IMMOTAM Vniuerſalem*, quæ ſi vniuerſalis eſt, omnem *immediatam* vocationem, etiam ad *certum & determinatum actum* comprehendit: Quod probo. I. argumentis paulò ante propoſitis, à paritate rationis, neque enim Deus minùs verax eſt, quando immediatè mittit ad certum actum, quàm ſi aliter mittat. II. Ipſe Melchior, f. 18. ſomnij probat ſuam vniuerſalem exemplo, Eſaiæ & Ieremiæ Prophetæ; & tamen hi ipſi fuerunt frequentiſſimè tantùm *ad actus determinatos peculiariter Vocati*, & immediatè illuſtrati; vt

de Eſaia

de Esaia ex 1. Reg. 18. v. 36. fatetur Melchior, quem ait *speciali immediata Dei directione excitatum & impulsum esse, ad demonstrandam miraculo Deum Israelis esse Verum Deum, idola autem Baalim esse plena, vanitatis & inanitatis. Vnde se, seruum Dei, & quidquid fecit, ex Verbo & præscripto Dei factum testatur, &c.* Si ergo Esaiæ non obstabat, quominùs is infallibilis authoritatis esset, quòd ad certum & *determinatum actum* demonstrationis veri Dei *immediatè* vocatus sit, euidens indicium est, infallibilitatem cùm immediata vocatione ad certum & determinatum actum optimè stare posse, & cum eodem æquè necessariò esse connexam, atque cum alia *vocatione immediata* quacunque.

Probata igitur maiore *immota* quoque est Conclusio; nempe Lutherum ad actum determinatum Reformationis non esse immediatè vocatum.

§. VII.

Quam vim habeant Testimonia Lutheri à Melchiore adducta?

RAtio dubitandi est; quòd, licet Lutherus his locis magnâ asseueratione dicat, *se primò solùm fuisse, & ad tantas res tractandas ineptissimum ac indoctissimum; casu, non voluntate ac studio in has turbas incidisse.*

ſæpe ſuam ipſius conſcientiam vix ſtabiluiſſe, &c. adeóque ſe immediatè à Deo vocatum ſatis apertè neget; præſertim Tomo 2. Ger. VVitteb. fol. 66. vbi ait, *Ego adhuc nunquam prædicaui, nec prædicare volui, niſi ab hominibus vocatus: nec enim gloriari poſſum me à Deo immediatè de cælo miſſum:* nihilominus tamen alibi etiam ſatis apertè de immediata & extraordinaria vocatione ſit gloriatus. Nam in litteris ad Electorem Saxoniæ datis ait, *Veſtra electoralis Celſitudo ſciat, aut ſi neſcit, Vna cum his ſciat, me Euangelium non ab hominibus, ſed tantum de cælo habere, vt omnino poſſem (ſicut deinceps faciam) me Dei ſeruum & Euangeliſtam jactare & ſcribere.* Item. *Ego certus ſum, quòd ipſemet Chriſtus me nominet Euangeliſtam, & pro tali habeat, qui meæ doctrinæ Magiſter eſt, & teſtis erit in extremo die iudicij, illam non meam doctrinam, ſed ipſius purum Euangelium eſſe.* Et paulo poſt. *Cùm ſim certus de mea doctrina, volo per eam veſter, & etiam Angelorum, vt S. Paulus loquitur, iudex eſſe, ita vt is, qui meam doctrinam non admittit, non poſſit ſaluus fieri: quia ipſa eſt Dei, & non mea: ideo meum iudicium etiam Dei eſt, & non meum.* Tomo 2. Ger. f. 119. f. 1. apud Melchiorem in ſomnio, f. 19. ait Lutherus, cum in ſummis anguſtijs eſſet, & ſcrupulis agitaretur, ob cæptam reformationem, *tandem* inquit, *confirmauit me verbis ſuis certis & fidelibus Chriſtus, vt jam nec tremat, nec palpetit cor.*

cor. Tom. 2. Ien. f. 119. a. Item, tam certus ſum Propheta, vt ob hanc cauſam meipſum oderim. Quid potuit Lutherus clarius dicere ad immediatam ſuam vocationem conteſtandam? Habemus igitur affirmantem & negantem Lutherum de eadem re. Vtri jam parti fidem habemus?

RESPONDEO I. Veriſſimum eſſe, ſi quidquam aliud, Lutherum nullo modo *immediatè* Vocatum à Deo, & tam parum fuiſſe Chriſti verum *Apoſtolum* ac *Euangeliſtam*, quàm parum Diabolus eſt Chriſti dilectus diſcipulus.

II. Fruſtra laborat Melchior, dum f. 26. & ſeqq. ſomnij; tantopere conatur incruſtare & colorare verba Lutheri de *immediata vocatione*, quaſi ille non voluerit dicere, ſe eſſe immediatè à Deo vocatum, ſed acceperit nomen *Euangeliſtæ* in ampliori ſenſu, *non pro immediatè vocato, ſed pro quolibet bono Nuncio alios exhilarante:* Item, quod *Euangelium* etiam *mediatè Vocatorum non ſit ab hominibus, ſed à Deo per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.* Contrarium oſtendit Lutheri textus, qui tam perſpicuus eſt, vt plus quàm meretriciæ frontis ſit, qui velit huius lucidiſſimi ſolis radios in meridie negare.

Nam I. negat expreſſè; Lutherus *ſe ab hominibus Euangelium*, id eſt, Lutheranam doctrinam, quatenùs illa Papatui aduerſabatur

(nam

(nam de illa erat sermo) *accepisse*; quod idem est, ac si dicat, se à nullo hominum ad Lutheranam doctrinam (quam proinde *Euangelicam* in proprio sensu vocant) prædicandam, missum & vocatum esse.

II. Lutherus affirmat quoque expressè, se TANTVM *de cælo Euangelium illud accepisse.* Quid autem hoc est aliud, quàm dicere, se à solo Deo *immediatè* ad hoc Lutheristicum Euangelium prædicandum vocatum esse? hoc enim significat particula exclusiua TANTVM. Neque aliter profectò Lutheri verba quisquam interpretari potest, nisi cui malitia omnem candorem pectoris excussit.

III. Lutherus dicit se certum esse, quòd *doctrinæ suæ* non alium habeat Magistrum, nisi Christum. Ergo in hoc nullum alium habuit hominem Doctorem in terris. Ergo quoad hanc doctrinam immediatè à Deo est eruditus, illuminatus, doctus, & vocatus: Se enim *in alijs* nullum habuisse alium Magistrum, nisi Christum, Lutherus dicere nullo modo potuit: quia manifestè falsum dixisset.

IV. Eâdem certitudine dicit, Christum fore sibi *testem, in extremo iudicio,* quòd doctrina Lutheristica non fuerit ipsius Lutheri, sed Christi puriſſimum Euangelium. Quis credat illum hîc *Euangelium* accipere tantùm pro *bono Nuncio*, & non pro *essentiali* doctrina *Euangelij*; & quidem Euangelij Lutherani?

V. Ad-

V. Addit, ob eam cauſam, ſe *nolle, vt ſua doctrina ab vllo homine aut Angelo iudicetur.* Hoc etiam nequibat dicere, ſi *mediatè tantùm*, & non *immediatè* à Deo ad hanc doctrinam tradendam ſe vocatum exiſtimâſſet. Summæ enim & intolerabilis arrogantiæ eſſet, ſi aliquis, qui mediatè duntaxat & per homines eſt vocatus, nullius hominis, imò nec Angeli iudicium de ſua doctrina ferre vellet. Non credo vllum Principem aut Magiſtratum ex Proteſtantibus Lutheranis talem prædicantem toleraturum eſſe, qui nollet ſuam doctrinam ſubijci vlli cenſuræ ſeu hominum, ſeu Angelorum. An non ſupra Effugio 5. arg. 2. de Vocatione, Ioannes Gerardus contendit, paſtores etiam ab ipſis ouibus de doctrina eſſe iudicandos? an non S. Petrus 1. epiſt. cap. 2. v. 13. monet: *ſubjecti eſtote omni humanæ creaturæ*? an non in eadem epiſtola c. 3. v. 15. iubet nos *paratos eſſe ſemper ad ſatisfactionem omni poſcenti rationem de ea, quæ in nobis eſt, ſpe*?

VI. Nullus *mediatè* ſolùm vocatus, niſi amens, dicit, *ſine ſua doctrina* (ſi à totius Eccleſiæ, adeóque etiam eorum, qui illum vocârunt, doctrinâ diſcrepet) neminem poſſe ſaluari. Cùm ergo Lutherus hoc dixerit, cenſuit ſe non *mediatè* ab hominibus, ſed *immediatè* à Deo vocatum.

VII. Ipſe modus loquendi, quo vtitur hîc Luthe-

Lutherus, oſtendit illum voluiſſe iudicare ſuam *immediatam* vocationem, dum ad imitationem Saluatoris, eadem ferè eiuſdem verba vſurpat Ioan. cap. 7. v. 16. quæ ſic habent. *Mea doctrina non eſt mea, ſed eius qui miſit me.* quibus verbis Chriſtus *immediatam* ſuam vocationem expreſſit. Adhunc etiam modum ait Lutherus de ſua doctrina, *ipſa non eſt mea, ſed Dei; ideò meum iudicium etiam Dei eſt, & non meum.*

VIII. Lutherus clariſſimè alibi dixit, *ſolus primò eram, & certè ad tantas res tractandas ineptiſſimus & indoctiſſimus.* Loquitur autem de eo tempore, quo cæpit promulgare ſuam doctrinam de *fide & operibus*; Ideò etiam Tom. 2. Ien. Germ. de *ſumma mandatorum Dei*, dixit, *Ego neminem ſcio, qui de fide & operibus rectè iudicare potuerit, exceptis Apoſtolis.* Ergo Lutherus à nullo homine tunc vocatus fuit ad illius doctrinæ prædicationem. Quis enim illum vocâſſet, ſi nemo de illa rectè iudicauit? ſi nemo illius doctrinæ notitiam habuit?

Ex his palpari manibus poteſt veritas, nempe Lutherum, quando ſe *Euangeliſtam*, *Eccleſiaſten* Dei, & *Prophetam* dixit, & *ſe Euangelium de cælo tantùm accepiſſe* iactauit, &c. ita locutum eſſe vt inſinuaret, ſe *immediatè* à Deo, ad illam doctrinam docendam, quæ Papatui contraria erat, miſſum, illuminatum & vocatum fuiſſe: alioqui tam audacter non

dixiſſet,

dixisset, *se ab ipso Christo verbis fidelibus corroboratum fuisse*, cùm in angustijs esset; ita vt jam illi nec tremat nec palpitet ampliùs cor ad eiusmodi scrupulos. Et quòd hæc etiam mens fuerit omnium illorum Lutheranorum, quorum superiùs testimonia allegaui, maximè Electoralium Saxonicorum, puto esse euidentissimum. Vnde vehementissimè est dolendum, istum Melchiorem Nicolai in VVirtenbergia tanto ad id precio conduci, vt optimum illum alioqui populum suis tam manifestis mendacijs adeò miserè dementet, & à salute animæ abducat.

§. VIII.

Probatur Ratione directè, Lutherum nullo modo, ideôque nec ad determinatum actum Reformandæ Ecclesiæ fuisse immediatè vocatum à Deo.

RATIO. Non est prudenter credibile, à Deo talem hominem ad totius Orbis Euangelicam doctrinam, ac mores nomine & authoritate Dei reformandam, *immediatè & extraordinariè* missum ac vocatum esse, qui non modo suæ *immediatæ* vocationis nullum prorsus habet à Deo signum, testimonium ac vestigium, vnde authoritatem infallibilem suæ nouæ doctrinæ conci-

liare

liare possit, sed potiùs habet contra se plurima euidentissima signa, notas &, characteres profligatissimi, & extremè malitiosi hominis, cujusmodi *Notæ* sunt, si eo ipso tempore, quo tali fungitur officio, deprehendatur perfidus, periurus, sacrilegus, Symboli Apostolici & S. Scripturæ falsator, Propheta mendax, Diaboli familiaris discipulus, & omnium, qui antehac vixerunt, Doctorum Ecclesiæ contemptor; irrisor, & subsannator arrogantissimus: qualem Deus, si honori suo consulere velit, nunquam adhibiturus est ad tale officium.

Sed Lutherus per omnia fuit talis homo, sicut in meo *Luthero Thaumaturgo*; *Characteribus Lutheri*; & *Auctario contra fugitiuum* demonstraui & demonstrat Illustrissimus Marchio Badensis in suis Motiuis, vnà cum D. Ioanne Pistorio, ad quos libros Lectorem remitto.

Ergo non est prudenter credibile, Lutherum à Deo fuisse extraordinariè & immediatè missum ad istud certum REFORMATIONIS OPVS, nomine & Authoritate Dei peragendum: sed potiús credibile est, Lutherum Archihæreticum & seductorem fuisse, cujus peruersam doctrinam omnes, qui sunt salutis suæ æternæ cupidi, merito fugiant & detestentur.

§. IX.

§. IX.

An iure à Luthero, & alijs Protestantibus postulentur miracula, quibus suam vocationem legitimam demonstrent.

RESPONDEO. Optimo, maximo jure peti; probatur. I. ex more consueto Dei, qui semper, quoties extraordinariè & immediatè aliquos misit, suo nomine, ad minores etiam res, quàm sit *Reformatio totius Ecclesiæ*, perficiendas, voluit, vt illis non crederetur, nisi missionem suam signis & miraculis supernaturalibus facerent contestatam. & huius rei necessitatem ipsa ratio dictat: alioqui quilibet sycophanta & impostor posset dicere se immediatè à Deo missum, totique Mundo imponere.

Hinc Exodi 4. v. 1. postquam Moyses dixisset, *Non credent mihi, neq; audient vocem meam, sed dicent, non apparuit tibi Dominus*, per virgam accepit potestatem ingentia patrandi miracula, in testimonium missionis diuinæ. Imò ipse Christus aliter se à Patre missum credi noluit, nisi editis miraculis. Ioan. 10. 37. *Si non facio opera Patris mei, nolite mihi credere. Si autem facio, & si mihi non vultis credere, operibus credite.* Et c. 15. 24. *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Nisi ergo extraordinarijs Dei testimonijs

ostendant, Lutherum, Zvvinglium, Caluinum, aut hunc potiùs, quàm illos, aut illos potiùs quàm hunc fuisse immediatè & extraordinariè vocatos à Deo ad suam *Reformationem* totius Ecclesiæ extraordinariè peragendam, pro falsis Apostolis sunt habendi; nisi dicant faciliùs illis credendum, quàm Moysi & Christo, quod impium.

Ex ipsis etiam aduersarijs præcipui hoc fassi sunt.

Ex Melanchthone probatur necessitas miraculorum.

Nam PRIMO, Philippus Melanchthon in cap. 3. Matth. ait. *sic postea sæpè, quando Mundus ferè fuit oblitus promissionem & doctrinam Euangelij*, (vt factum fuisse ante Lutherum in Aug. Confess. contendit) *tunc vocauit nouos Doctores, vt post Noë & Sem vocauit Abrahàm deinde Ioseph; postea Moysen, postea Samuelem, Eliam, & alios. Sic quando jam magnæ tenebræ erant, Deus vocauit Ioannem. Et semper addit Deus miracula, vt certò sciamus esse à Deo missos. Ideò Ioannes magno miraculo nascitur ex Matre sterili & anu.*

Idem probatur ex Luthero.

SECVNDO. Ipse Lutherus lib. de seruo arbitr. *Nobis*, inquit, *mandatum est prorsùs nullum dogma admittere, signo diuino ante non probatum. Deuter. 18.* Et in Epist. ad Mülhusianos. *Satan* (inquit) *non nisi errones mittit, qui neq; à Deo missos se probare possunt; neq; ab hominibus vocati sunt, sed suâ sponte veniunt. &c. si talis prædicator dicat, se sicut Apostolos à Deo &*

Spiritus

Spiritu eius missum, jubete vt id signis ac prodigijs demonstret. Vbi enim Deus ordinariam ad ministerium vocandi rationem vult mutare, ibi SEMPER miracula operatur.

TERTIO. Hinc etiam ad præfectum VVartburgensem Tomo 2. Ger. VVitteb. Lutherus sic scribit de clancularijs concionatoribus vitandis: *Doceatur populus interrogare tales, & dicere: vnde venis? quis te misit? quis te concionari jussit? vbi sunt litteræ? vbi sigillum, te ab hominibus missum? vbi miracula testificantia te à Deo missum?* Cuius ratio est; quia Apostolus est Legatus Dei, oportet ergo, vt non suâ sponte venerit, sed à Deo missus sit: quæ missio si extraordinaria & à Deo immediata sit, signis de cælo debet fieri certa & manifesta. Et hæc ratio robur habet non solùm aduersùs concionatores clancularios, cum quibus Lutherus digladiabatur, vt aliqui Lutherani nunc explicant, sed etiam aduersùs omnes alios, qui vel ad simpliciter NOVAM doctrinam disseminandam, vel ad *veterem collapsam instaurandam* se se extraordinariè vocatos dicunt; vt ex testimonio Melanchthonis liquet.

QVARTO Denique Tomo 2. Epist. Eislebiæ editarum 1. Epist. ad Philippum ait Lutherus; *neq; enim Deus vnquam aliquem misit, nisi vel per hominem vocatum, vel per signa declaratum; ne ipsum quidem Filium.*

§. X.

Quid opponant Lutherani Prædicantes.

OPPOSITIO PRIMA.

LUthero miraculis opus non fuisse, quòd ipse non NOVAM doctrinam, sed à Prophetis & Apostolis olim conscriptam, ac multis miraculis dudum confirmatam purè docuerit. Ita passim Lutherani.

RESPONDEO. I. Lutherus suam doctrinam *nouam* fuisse, fassus est ipsemet, cùm dixit, *primò solus eram*: &, *doctrina hæc nostræ NOVA, & supra modum scandalosa erat per universum orbem.* Item, *Ego neminem scio, qui de fide & operibus rectè judicare potuerit, exceptis Apostolis, &c.* & *in Locis communibus*, classe 4. fol. 51. *Hoc donum diuinitùs datum habebam, quòd tantam causam in me vnum recipiebam, & mihi vni sustinendam diuino auxilio judicabam.*

II. Licet noua non esset, adhuc tamen miraculis deberent probare vocationem suam extraordinariam. Nam & Christum nihil aliud docuisse, quàm quod Prophetæ antea scripserant, volunt tum Lutherani, tùm alij: & tamen ille miracula doctrinæ coniunxit, sine quibus credi noluit.

III. Ponamus, Lutheri & aliorum doctrinam

nam

nam in rebus fidei fuisse omninò conformem S. Scripturæ, quia tamen extraordinario modo eam prædicare cæperunt, etiam extraordinarijs Dei testimonijs instructi esse debuerunt ad extraordinariam vocationem probandam.

IV. Quamuis etiam Romana Ecclesia erraret, non tamen sequeretur Lutheri doctrinam potiùs sequendam, quàm Caluini, Zvvinglij, aut Socini, qui similia cum Luthero jactant; & eodem modo dogmata sua Scripturæ consentanea dicunt, & æquè speciosè probant, & tamen inter se toto cælo differunt.

V. Theodorus Thummius in ταπεινωσοφία, f. 15. Menzeri doctrinam de *omni præsentia* Christi sic probat esse *novum* & repudiandam. I. *Quia fassus sit ipse esse novam.* Atqui hoc & Lutherus fecit. II. *Quia fassus sit se sententiam priorem mutâsse.* Fassus est & Lutherus. III. *Quia nemo ante Menzerum Orthodoxus sic docuerit.* Sed neque ante Lutherum, Luthero teste. Ergo si Thumij gladius vulnerat, & meus Luherum & Lutheranos.

OPPOSITIO SECVNDA.

Scripturam exactè trutinantes, deprehendimus immediatam vocationem non necessariam habere cum miraculis connexionem, sed tantùm, vt est CONIUNCTA *cum modo reformandæ & immutandi*

mutandi publici ministerij. Ita Moses translatu-rus sacerdotale officium à primogenitis ad tribum Leuiticam, & peculiariter ad familiam Aaronis, ingentibus miraculis suæ vocationis fidem adstru-xit. Ita Christus à sacerdotio Leuitico transla-tu-rus ministerium ad Apostolos & successores, diuinis operibus se ad hoc opus peculiariter à Deo Patre de-signatum esse ostendit. At Ieremias, Ezechiel, Amos, Oseas, Ioël, &c. nullis ejusmodi operibus insignes leguntur, &c. Malè ergo torquentur ver-ba Lutheri de necessaria vocationis immediatæ cum miraculis connexione. Nam Münzerus totum ministerij ordinem hactenus in Ecclesia seruatum mutare conabatur, sibiq; credi Spiritûs inspiratio-nem jactanti, nullâ Scripturarum habitâ ratione, imprudenter postulabat, séq; ferro & armis destru-endæ idolomaniæ destinatum inani hiatu vocifera-batur. Iure ergo & merito Lutherus miracula ab eo exigenda censuit, non tamen à quolibet imme-diatè vocato requirebat.

Ita Melchior Nicolai in Symbolo Vindi-cato, f. 253.254.

RESPONDEO. In arcto positus Melchior iterum arripit arma sibi iugulum præcisura.

Melchior se ipsum iugulat.

I. Lutherus disertè dicit, *Extraordinariæ vocationi Deum SEMPER addere solere mira-cula.* Ergo imprudentissimè Melchior ait, Lutherum non à quolibet immediatè voca-to miracula requirere. Quid enim est extra-ordinaria Vocatio à Deo, nisi immediata? si ergo

si ergo Deus semper addit miracula ; nunquam omittit. Ergo iure à quolibet tali, Luthero assertore, requiruntur miracula, quia prorsùs nullam facit exceptionem : & rectè, aliàs enim non posset constare Ecclesiæ SEMPER de legitima vocatione talis ministri *extraordinariè* vocati ; vnde foret perpetuis exposita erroribus ; nec vnquam crica fidem firmo pede consisteret. Faciamus enim aliquem, qui *immediatam* vocationem prætendit, non mutare ministerium publicum, nouum tamen & hæreticum dogma in Ecclesiam introducere ; si iste non tenetur edere miraculum pro suo dogmate, quomodo Ecclesia cognoscet, eum esse legitimè vocatum? *Nobis enim mandatum est*, (inquit itidem Lutherus) *nullum dogma admittere, diuinis signis non antè probatum.* Deut. 18.

II. Si *immediata* vocatio tunc saltem necessariò miracula postulat, quando est *cum modo reformandi publici ministerij coniuncta*, tunc nihilominus iure à Luthero miracula poscimus : Nam eum *Reformatorem* Orbis vos ipsi decantatis ; & immutâsse eum ministerium publicum, est omnibus notissimum. Quia I. pro sacerdotibus substituit Laicos, etiam sartores & textores. II. Abrogauit officia cantata in Ecclesia tam pro viuis, quàm pro defunctis, quod ad ministerium publicum spectabat. III. Abstulit *inge sacrificium*

ficium Missæ. IV. Ministerium Sacramenti Confirmationis, Extremæ Vnctionis, Ordinis, pœnitentiæ partim mutauit, partim omninò de medio sustulit. V. Subordinationem ministrorum Ecclesiæ sub vno visibili Capite supremo, & in terris Vicario Christi, longissimè ablegauit. VI. Multos alios ritus Ecclesiæ abjecit. VII. Prædicationem Verbi quoad verum sensum, imò etiam quoad verba pluribus locis corrupit. *VIII.* Potestatem gubernandi Ecclesias ad Laicos Magistratus præposterè transtulit. Quid est mutare ministerium publicum, si hoc non est?

Münzeri & Lutheri similitudo.

III. Quid potestis exprobrare Münzero, quod non etiam fecerit Lutherus? Ferro & armis papatum destruendum voluit Münzerus: voluit idem rabiosissimè Lutherus: vt sæpiùs demonstraui. Scripturam contempsit Münzerus: contempsit & Lutherus, qui quæ inde afferebat, non nisi ex suo cerebro voluit interpretanda, ijsque ad fœdissimos errores suos palliandos turpiter abusus est, qui est maximus Scripturarum contemptus. Magistratuum politicorum imperia nihili ducenda docuit Münzerus, an non hoc ipsum fecit impudentissimè Lutherus? Hæc certè illius verba refert Staphylus in libello, das klein Corpus der Theologey Lutheri, ex libro de Captiuit. Babyl. daß kein Hoffnung einiger

Hülff

Hülff / oder Artzney sey / es wurden dann alle menschliche Gesatz auffgehebt / vnd der Pöfel das Regiment an die hand nemme. *Non esse spem auxilij aut remedij, nisi omnes leges humanæ aboleantur, & plebs manibus arripiat Regimen,* & contra duo mandata Cæsaris: *Orandum Deum esse, vt subditi excæcatis Principibus, nullam obedientiam præstent.* An non hoc fuit Münzero tibiâ canere ad saltandum? Legat Lector, quæ ex Luthero, huius rei testimonia adduxi in *Characteribus Lutheri, pronunciato 4.* & alibi.

IV. Etsi verò de Ieremia, Ezechiele, Amos, Ioële nulla legantur miracula, non ideò fecêre nulla: quia non omnia scripta, quæ facta, etiam ab ipso Saluatore, Ioan. 21. v. 25. Deinde satis miraculi fuit ad probandam extraordinariam vocationem, quòd isti Prophetæ veraci & infallibili ore breuî futura prædixerint; cuiusmodi prædictio naturæ vires superans, rectè miraculis adnumeratur. Sic Ieremias prædixit, Nabuchodonosorem Regem deuastaturum terram Ægypti, c. 46. 13. &c. Sic Helias prædixit tribus proximis annis non fore rorem & pluuiam, 3. Reg. 17. 1. Sic Micheas Regem Achab infeliciter pugnaturum in Ramoth Gaalad. 3. Reg. 22. 17. Et quia hæc omnia euenerunt, eo modo, quo prædicta sunt, ideò etiam in cæteris, præsertim quæ de aduentu Messiæ in longinquum

prænunciabant, fidem auctoritatémque divinam sibi conciliârunt.

Oppositio Tertia.

Balth. Meisneri obiectio.

Miracula non certam & infallibilem fidem adstruunt immediatæ vocationi. Nam si surrexerit in medio tui Propheta, aut qui somnium se vidisse dicat, & prædixerit signũ atque portentum, quod locutus est, & dixerit tibi, Eamus & sequamur Deos alienos, &c. non audies verba Prophetæ illius, aut Somniatoris, quia tentat vos Dominus Deus vester, vt palàm fiat, vtrum diligatis eum, an non? Deut. 13. Christus contra istos mirabiliarios, cautos nos fecit, Matth. 24. Surgent Pseudochristi & Pseudoprophetæ, & dabunt signa magna & prodigia, &c. Frustra ergo miracula petuntur à Luthero, &c. Ita Melchior Nicolai Symbol. Vindicat. f. 254. & Balth. Meisnerus contra Lessium, f. 216. 217. & contra 3. fundam. *Excubiarum* Reihingi Catholici, f. 218.

Respondeo. I. Si miracula nil faciunt ad probandam *immediatam* vocationem, cur Lutherus dixit, *Deus semper solet addere miracula*? cur à Mũnzero illa in hunc finem postulauit? potuisset enim Mũnzerus illum eâdem ratione repellere.

II. Aut Melchior vniuersè negat omnibus miraculis hanc vim probandi *immediatam*

tam vocationem, aut negat ſolùm miraculis falſis: ſi priùs, otioſè, & ſine cauſa Chriſtus ac Moyſes patrârunt miracula: nullam enim vim habuerunt probandi illorum vocationem: quod falſum. Si poſteriùs: argumentum contra nos eſt plumbeum & inane, nos enim à Luthero vera, non falſa petimus miracula. Sicuti etiam Lutherus à Mũnzero petijt.

III. Cur ipſe quoque Melchior ait, *Miracula cum immediata vocatione eſſe neceſſaria, quando illa eſt cum Reformatione & modo miniſterij publici immutandi conjuncta?* aut enim certam fidem miracula tunc adſtruunt, aut non. Si prius: ergo malè miracula vniuerſè vocationi *immediatæ* neceſſaria eſſe negat. Si poſterius: fruſtra poſtulantur, & Melchior ſtolidè ſeipſum refutat: quia ait eſſe cum tali reformatione, &c. neceſſariò coniuncta, quod ex hypotheſi eſt falſum. *Iterum Melchior ſibi ipſi repugnat.*

IV. Imprudentiſſimè Auguſtinus in epiſt. Fundamenti, c. 4. inter ea, quæ *iuſtiſſimè illum tenent* in gremio Eccleſiæ, *miracula* poſſuiſſet, ſi miracula nullam vim haberent probandi veram Eccleſiam. Statim enim aduerſarij illi opponere potuiſſent: miracula fidem non probare. Quis autem hoc de Auguſtino dicat.

V. Ex his conſequitur, Chriſtum Matth. 24. non niſi ſpuria & falſa miracula rejeciſſe, & ca-

& cauenda dixisse nempe illa, quæ præstigiatoriè, aut alijs diaboli artibus per causas naturales fiunt, non autem miracula vera, & diuina, quæ facit, ille, *qui facit mirabilia magna solus*. Psal. 135. v. 4. alioquin pari ratione possemus dicere, quando Matth. 7. v. 15. nos jussit à falsa Doctrina & falsis Doctoribus cauere Christus, illum etiam vniuersim omnem Doctrinam, & omnes Doctores ex Ecclesia remouendos voluisse, quod absurdissimum, & tamen sic de miraculis prædicantes rationantur, vel, vt rectiùs dicam, *fatuantur*.

Quomodo vera à falsis miraculis dignoscenda.

VI. Non est adeò difficilè vera à falsis, spuria à legitimis miraculis dijudicare; si I. opus ipsum; si II. operans; si III. operandi modus: si IV. finis operis diligenter inspiciatur, quod iudicium Ecclesiæ negandum non est; cuius etiam est sanam à falsa doctrina discernere & dijudicare. Semper enim Deus fortior est Diabolo, & veritas potentior falsitate. Quare licet nonnunquam Pseudoprophetæ operâ Dæmonis aliqua mira efficiant, tandem tamen deprehenditur fraus, & mendacia signis maioribus & certioribus prodigijs à Deo opprimuntur, vt factum, Exodi 8. vbi Moyses fucatis Magorum miraculis ita laruam detraxit, vt demum & ipsi in hanc vocem erumperent, *Digitus Dei est hic*, in quo isti Magi multò magis ingenui

fuêre

fuêre prædicantibus, qui luculentiſſima & teſtatiſſima Catholicæ Eccleſiæ miracula non ceſſant impudenti ore calumniari. Sanè non eſt credibile, Deum pro ſua immenſa erga nos charitate permittere, vt aut vniuerſa Eccleſia per tantorum ſæculorum decurſum in articulis ad ſalutem neceſſarijs, per falſa miracula tam fœdè decipiatur; aut vt eadem Eccleſia ſui officij tam ſit negligens, vel deditâ operâ tam malitioſa, vt nolit eiuſmodi miracula in debiti examinis trutina ſuſpendere & examinare.

VII. Locus ex Deuteronomio c. 13. nos non ferit. Si enim loquatur Moyſes de aliquo, qui fuit verus Propheta, vt eſt credibile, ſenſus eſt: Etiamſi priùs quis veris prædictionibus auctoritatem ſibi conciliâſſet, & poſtea peruerteretur, atque à vero hactenus cognito Deo, vellet populum ad Deos alienos abducere, tali Prophetæ fidem non habendam; tunc enim euentum prædictionis præteritæ habere ſe planè *per accidens* ad idololatriæ illius ſuaſionem, quo modo S. Paulus Gal. 1. v. 8. dixit; *Licet nos, aut Angelus de cœlo Euangelizet vobis, præterquam quod Euangelizauimus vobis, anathema ſit.* Sic etiam ſi hodie S. Petrus, vel S. Paulus venirent ac ſuaderent cum Ario, ne Chriſtum Dei Filium crederemus, vt manifeſtæ impietatis ſuaſores non eſſent audiendi: non ideò miracula, quæ olim

olim Apoſtoli iſti in confirmationem fidei patrârunt, non certam fidem adſtruxiſſent. Si verò Moyſes loquatur de aliquo falſo Propheta, & de talibus rebus, quæ etiam operâ Dæmonis naturaliter præſciri & prædici potuerunt, concedo eum ſuis miraculis certam fidem non adſtruere: talibus autem miraculis nos ab ijs, qui immediatam vocationem prætendunt, illam probari haudquaquam poſtulamus:

OPPOSITIO QVARTA.

Grande miraculum Lutheri, ſcilicet.

Non tamen vniuerſaliter verum eſt, Lutherum nulla patrâſſe miracula; Nam euoluenti annales, & ſecum reputanti, quantâ ſuperbiâ & faſtu Pontifex Romanus fulmine excommunicationis armatus, & populorum ſtultâ credulitate animatus, maximorum & potentiſſimorum Imperatorum, Regum, Principum capitibus inſultârit, quantâ ſecuritate Decretales ſuas magna ex parte ineptiſſimas, Orbi Chriſtiano venerandas, credendas & exoſculandas obtruſerit, &c. MIRACVLVM OMNIVM MIRACVLORVM MAXIMVM, & diuinæ cooperationis certiſſimum τεκμήριον videbitur, tantam hanc molem, tantis ſæculis, tanto ſtudio & curâ exædificatam vnius inermis monachi, nullâ authoritate, nullâ externâ potentiâ ſuffulti voce, quaſi repentino impetu labefactatam, & multis in Imperijs, Regnis, Prouincijs, vel totam ex imis fundamentis

eru-

rutam, vel magna ex parte destructam. Ita Melchior Nicolai, Symbol. Vindicat. fol. 254.255. Et Balthasar Meisnerus aduersùs *Consultationem* Lessij his verbis. *Si vsq; adeò morosi in postulato estis, loco miraculi allegare possumus magnum illud & admirandum Reformationis opus. Erat Lutherus misellus Monachus, nec ferro, sed Verbo Domini aggrediebatur Papam. Omnes Academiæ se Doctrinæ illius opponebant: omnes Cardinales & Episcopi execrabantur: omnes Reges & Principes illum persequebantur. Ipse terror orbis Imp. Carolus V. vnum istum Monachum debellare, veræq; Doctrinæ prædicationem impedire, cum maximè vellet, non potuit. Ejecta sunt è claustris Dæmonia; captiui sub tyrannide Papæ potenter sunt educti. Magna hæc fuerunt miracula & opera Domini; adeò vt qui attentè legit historias illorum temporum, non possit non exclamare. A DOMINO FACTVM EST ISTVD, & est MIRABILE in oculis nostris.* Adhiñiunt istis, pronóque consensu admodulantur plerique alij Prædicantes Lutherani.

RESPONDEO. Hoc fictitium & multis mendacijs vestitum miraculum justi judicij libramine examinaui in *LVTHERO Thaumaturgo*, vbi aliquot argumentis ostendi, *non à DOMINO*, vt prædicantes gloriantur, sed *à Dæmone factum esse istud miraculum, & miserabile, non autem mirabile esse, in oculis nostris.* Argumentorum Summa hæc est.

I. Non

I. Non potest prudenter credi facinus temerarium, scandalosum, mendax, fraudulentum, sacrilegum, prorsusq; ex se illicitum, à Deo fuisse approbatum diuino miraculo. Sed Reformatio ista fidei à Luthero cæpta & propagata, fuit tale facius. Ergo non potest prudenter credi eam à Deo fuisse diuino miraculo approbatam. Subsumptum prolixè probatur in Luthero Thaumaturgo.

II. Si ista propagatio Lutheranismi ob tam celerem & felicem sui, aduersùs tot obstacula progressum, in miraculis est numeranda, sine dubio nominatim ostendi potest, quænam ex tam varijs Lutheri nomine insignitis doctrinis tam conspicuo fulserit miraculo. Sed nil tale ostendi potest: cùm ea illo ipso tempore, quo maximè creuit per primos 12. annos, inconstantissima, & in multis sibi ipsi contraria fuerit, & ferè quot mensibus alia & alia; vt in Luth. Thaumat. ostensum. Ergo, &c.

III. Illius doctrinæ quantumuis felix & accelerata propagatio, non est miraculosa, quæ licet aliqua vera contineat, veris tamen etiam multa falsa, impia, blasphema, hæretica circa præcipuos fidei articulos admixta habet, & quidem eo ipso tempore, quo illa doctrina beneuolentissimè & obuijs vlnis à multis acceptatur. Sed propagatio Lutheranismi ita se habuit. Ergo.

IV. Si hoc est miraculum, pro Lutheri doctrina à Deo editum, quòd inter plurima impedimenta, tam magnum hominum numerum à Papatu illa abstraxerit, & tam velociter per Germaniam diffusa fuerit, tum pariter licebit dicere, præcipuas sectas & hæreses (vt Arianismum, Pelagianismum, & Mahometismum fuisse simili à Deo confirmatas miraculo; & nec minùs quàm Lutheranismum, pro veris religionibus habendas, cùm celerrimè & latissimè quoque ita fuerint propagatæ. Consequens est absurdum: Ergo & antecedens.

V. Sequitur etiam, Catholicam Romanam fidem gaudere tali miraculo; quia & illa in India, China, Iaponia non minori celeritate & incremento, quàm Lutheranismus in Germania proseminata fuit. Sed consequens repugnat Lutheranis. Ergo.

VI. Illud non est habendum pro diuino miraculo, quod per se ipsum absque Dei singulari ope facillimum fuit. Sed dilatatio Euangelij Lutherani tam ampla, támque velox per se ipsam, absque Dei singulari ope fuit facillima; tùm quia dogmata carni inimica & ingrata remouebat; amica verò & voluptuaria proponebat; tùm quia suos Sectatores ex Ecclesiasticorum spolijs & rapinis largiter opulentabat; tùm quia etiam metum, vim & arma adhibebat. Nihil ergo

facilius fuit, quàm talem doctrinam celerrimè diffundi, & ambabus manibus acceptari, præsertim apud homines carnales, & per se ad licentiam tam propensos. *Non est igitur hoc factum à Domino, sed à Daemone: & est miserabile in oculis nostris.*

OPPOSITIO QVINTA.

De S. Ioanne Baptista.

Etiam Ioannes Baptista immediatè vocatus est à Deo, ad annunciandum præsentem Messiam, & tamen nulla legitur patrâsse miracula: neque enim illa Euangelistæ racuissent, si quæ fuissent. Ergo non est necesse, vt Lutherus suam vocationem extraordinariam per miracula debuerit demonstrare. Ita passim Lutherani, Meisnerus, Melchior Nicolai, alij, &c.

RESPONDEO. Hoc refutatum est in *Characteribus* Lutheri Pronunciato 5. fol. 75. Ioannis Conceptio miraculosa fuit, & quidem 1. Cum expressa testificatione Gabrielis Archangeli, *Illum MAGNVM fore coram Domino, & repletum iri Spiritu S. adhuc ex vtero Matris suæ, multos filiorum Israël conuersurum, ad Dominum, quem etiam præcessurus sit in Spiritu & virtute Eliæ.* II. Zacharias est ob incredulitatem loquelâ priuatus, cum ingenti admiratione populi. III. Exultauit infans in vtero. IV. Ioanne nato apertũ miraculosè est os Zachariæ. V. Factus est timor super

omnes

omnes vicinos, & ſuper omnia montana divulgabantur verba hæc. VI. Omnes qui audiêrunt, dixerunt, Quis, putas, puer iſte erit? VII. Manus Dei erat cum illo. VIII. Puer creſcebat & confortabatur Spiritu. IX. In deſerto duxit ſanctitatis inuſitatæ vitam; quæ fuit inſtar plurium miraculorum, ipſo Chriſto teſtante. Matth. 11. v. 9. Quid existis videre? Prophetam? dico vobis, & plus quàm Prophetam. Hic eſt enim, de quo ſcriptum eſt: Ecce ego mitto Angelum meum, &c. X. Accedunt innumera miracula à Chriſto patrata, quæ quoniam veritatem verborum Chriſti confirmârunt, etiam doctrinam & vocationem Ioannis confirmârunt, quam Chriſtus verbis tantopere laudauit. Dent ergo aduerſarij ſimilia de Luthero, & eius immediatæ vocationi fidem habebimus.

OPPOSITIO SEXTA.

Alia ſunt haud obſcura ſigna, quibus certò cognoſcitur Lutheri diuina vocatio; nempe Vaticinia de ipſo edita, tùm Apoſtolica, Apocal. 14. v. 6. & c. 18. v. 1. tùm Eccleſiaſtica, quorum alterum in templo Friderici Barbaroſſæ expreſſum, vbi ſtatua Monachi extructa circa annum Chriſti 1170. cum inſcriptione *Luterus*, referente Theophraſto Paracelſo in Chronicis Carinthiæ:

Vaticinia de Lutheroiactata, ſed falſò, ex Apocalypſi Ioannis.

alterum Ioannis Huſſi ad rogum euntis, di-
centíſque, *poſt centum annos veniet Cygnus,*
quem aſſare non poteritis. Ita Balth. Meiſnerus
contra Excubias, fol. 218. contra Leſſium,
f. 216. 217.

RESPONDEO .I. Quando in Apocalypſi
inueniunt Lutherani, quod putant ſuis vſi-
bus ſeruire, mox clamant intrepidè *Apoſtolica*
ſcripta; quando eſt, quod illos vrit, tùm Ca-
nonicum librum eſſe negant cum Luthero,
qui dixit, *ſuum Spiritum cum hoc libro Apoca-*
lypſeos conſpirare non poſſe. Quomodo ergo
Spiritus Apocalypticus conſpirabit cum Lu-
thero?

II. Nullum verbulum eſt in duobus illis
capitibus Apocalypſeos, de Luthero, de quo
nemo, niſi aut ſomnians, aut temulentus illa
verba Scripturæ interpretabitur.

III. Primus Angelus in Apocal. c. 14. ha-
buit I. *Euangelium æternum.* Euangelium ve-
rò Lutheri non fuit æternum; tùm quia ipſe
ob ſummam inconſtantiam id ſæpiſſimè in
aliam formam tranſmutauit, vt argumen-
to 3. in Luthero Thaumaturgo oſtendi: tùm
quia pænè adhuc viuo Luthero à diſcipulis
illius in nouas ſectas identidem degeneran-
tibus ita fuit adulteratum, vt inter eos, qui
ſe Lutheranos appellitabant, pauci eſſent ve-
rè Lutherani, teſte Ioanne Aurifabro in præ-
fat. Colloq. Conuiual. vbi ait, *perſpicilys acu-*
tis

tis opus esse illi, qui cupiat Lutheranam doctrinam integram & sincoram inuenire: tùm quia ipsemet Lutherus non agnouit suum *Euangelium fore æternum.* Sic enim scribit in Comment. ad Galatas: *Ego profectò malè metuo, ne post obitum meum doctrina hæc rursùs intereat.* & alibi. *Si Mundus adhuc aliquantulum steterit, videbitis puram & veram Christi cognitionem rursùm funditùs perire.* Ego certè fateri cogor, modernorum Lutheranorum doctrinam in multis grauissimis rebus à Lutheri doctrina quàm longissimè abesse.

II. Angelus ille docuit mortales timere Deum, & iudicium Dei. Lutherus è contrario docuit. *Si tibi in mentem veniat, Christum esse iudicem, qui legem doceat, & tibi succenseat, ac te in examen vocaturus sit de anteacta vita, pro certo indica non esse Christum, sed ipsissimum furibundum Diabolum.*

III. Ille Angelus euangelizauit *super omnem gentem & tribum, & linguam & populum.* Lutheri verò Euangelium exiguum Orbis Angulum occupauit, ita vt tota Africa, Asia, America, India, China illius sit expers, & ignara: in Europa verò magna pars supersit, quæ Lutherum execratur.

IV. Angelus ille dedit honorem Deo. Lutherus subtraxit honorem Deo. I. quia afferuit cum Melanchthone, *adulterium Davidis esse proprium Deo, sicut est Conversio S. Pau-*

li, vt in Manuali Lutheranorum, & in Luthero Thaumaturgo demonstraui, quod est Deum auctorem peccati facere. II. negauit Christum in Eucharistia honorandum & adorandum, quem tamen ibi verè præsentem agnoscit. III. sustulit de medio sacrificium *iuge* Altaris, quo Deo immaculata hostia quotidie offerebatur. IV. Vota monastica & alia, in Dei honorem nuncupata & ipse turpiter violauit, & alios violare docuit.

Quomodo ergo verum est, Lutherum per illum Angelum designari?

ALTERVM Vaticinium Apocalypticum ex cap. 18. nihilo plus habet conformitatis cum Luthero, quàm asinus cum Lyra. Nam 1. Angelus ille de cælo descendit: Lutherus contrà ex Inferorum faucibus ascendit, siue quòd ab orci Magistro præcipuam suam doctrinam contra *Missam* didicit, vt demonstrat Nicol. Serarius lib. de Lutheri Magistro, & ego in *Characteribus* Lutheri *pronunciato 6.* siue quòd in omnibus suis scriptis tam petulans conuitiator, tamque fœdus scurra fuit, vt ferè nulla pagina sit, quàm honestiores oculi sine rubore legere possint, adeò omnia criminationibus, sarcasmis, stercoribus, meretricibus, porcis, Diabolis & Diabolorum excrementis contaminauit; quæ sanè maledicentia & scurrilitas vt Plautini parasiti certum

tum argumentum est, ita ab Angelo cœlesti longè est alieniſſima.

II. Angelus ille habuit potestatem magnam à Deo, à quo missus erat. Lutherus legitimâ potestate destitutus, & vocatione, nullam à Deo habuit potestatem.

III. Angelus ille terram illuminauit gloriâ suâ. Lutherus glorioſiſſimam Germaniam indelebili macula dedecorauit.

IV. Angelus ille casum & ruinam Babylonis magnæ denunciauit. Lutherus Babylonem, id est, omnium errorum & sectarum *confusionem* non modò non sublatam indicauit, sed & tanquam peritus architectus, lateres & cæmentum ad illius exædificationem maximâ copiâ apportauit. Procul igitur est à vero, Lutherum per illum Angelum designari.

Fabula de Monachi statua reperta cum nomine LVTERI.

AD FABVLAM de Monachi statua, cui inscriptum fuerit LVTERI nomen.

Respondeo. I. Commiseration em dignam esse Lutheranorum cæcitatem, qui sanctis Ambrosio, Augustino, Nazianzeno & alijs grauissimis Patribus testatissima miracula pro fide Catholica narrantibus, omnem fidem abrogant: ex aduerso autem quando de chimicorum furnulis carboniperda, aut Magus aliquis ex suæ mendaciloquentiæ fornacula quidpiam eliquat, quod vel in speciem possit Lutheranam causam colorare, id confestim

pro auro Arabico, pro oraculo Delphico, imò pro miraculo habendum exclamant. Huius generis est istud testimonium Theophrasti, de quo celeberrimus Medicus Thomas Erastus ad calcem disputationum de medicina noua Philippi Paracelsi hæc scribit. *Theophrastus Paracelsus nostro tempore vixit, qui veterum omnium placitis contemptis, multa noua in artem medicam inducere conatus est: & Medicinam per diuersas Heluetiæ, Germaniæ, Poloniæ Regiones vagabundus exercuit, dum pecuniâ careret: quâ modicâ acquisitâ vino & ludis deditus (vt constans fama est) nemini medebatur. Dæmone vtebatur familiari, vt ex ejus discipulis audiui: vir naturâ & eloquentiâ, quàm litteris & studio, doctior; prorsùs inconstans, nunc Theologus, nunc Medicus, nunc Magus, sæpè compotator & aleator inter Rusticos.* Videant ergo Lutherani qualem testem pro Luthero adduxerint. Nos istis fumis chimicis non pascimur, sed eos in leuissimas auras abire jubemus.

II. Faciamus repertam esse ejusmodi statuam cum inscriptione *Luteri*, an ideò sequitur Lutherum à Deo vocatum Apostolum fuisse? Quasi verò non etiam de facinorosis aliqua futura prædici possint? An non luculenta de Iuda proditore, & Antichristo in scripturis extant vaticinia? An Arius propterea melior fuit, quia de ejus furore Si-

bylla

bylla Erythrea tot ſæculis antè vaticinata eſt, teſte Conſtantino M. in epiſt. ad Arium? Nihil igitur Lutherum iuuat hæc paracelſiſtica vaticinatio, aut fabuloſa ſtatua.

AD HVSSI Propheriam dico. I. Quis ſcit, an vnquam in mentem, aut linguam Hvssi venerit, quod tacentibus alijs, primùm Hvssitæ, ac poſtea Lutherus & Lutherani jactârunt vaticinium? nobis noſtra referentibus nil fidei tribuunt aduerſarij, & nos ipſis de ſe omnia, quaſi de tripode dicta, credamus? Si ergo negemus hæc ab Huſſo prolata, vnde probant Lutherani? *De Huſſi prophetia.*

II. Sit ita vaticinatus anſer ille, vel Vulpanſer, de aliquo ſubſecuturo Pontificis & Romanæ Eccleſiæ hoſte, vnde Lutheranis conſtat eum non de alio, v. g. Carolſtadio, Zvvinglio aut Caluino locutum? cùm temporis ratio ab Huſſo indicata non ad amuſſim cum Luthero conueniat.

III. Quid ſi hæc prædictio nec dum impleta ſit? nam ſi vel hodie nouus hæreſiarcha ſurgeret, ſurgeret poſt 100. Annos elapſos, licet non immediatè à combuſto Huſſo.

PORRO non *Cygnum*, ſed *porcum* potiùs Lutherum appellandum eſſe, ex eo diſcas, quòd non modò plenus fuit *Cacodæmone*, ſed etiam *Cacadæmone*; cujus canor (erubeſco ſcribere) nihil ferè aliud fuit, quàm fœtor, pedor, ſtercus, oletum, latrina, lupanar, ha-

ra, & id genus alia Islebica aromata, quæ passim reperies illius libris aspersa, insperſa, & superspersa. plura de hoc in Luthero *Thaumaturgo*, f. 164. 165. & in M. Iacobi Andreæ Sauberen Luther.

Oppositio Septima.

Duplices sunt Prophetæ : alij maiorum gentium, alij minorum. Prioris generis fuêre Moyses, Samuel, Elias, Ieremias, & Apostoli Spiritu S. illustrati, qui licet in moribus errârint, non tamen in doctrina. Posterioris generis fuerunt illi, quorum Paulus in 1. Cor. c. 14. meminit, qui in interpretanda scriptura non semper rem acu tetigerunt. Hisce adnumerandus Lutherus, qui principio quidem Reformationis titubanter nonnihil de quibusdam doctrinæ suæ capitibus locutus fuit, quippe adhuc tenebris papisticis immersus, quod illi est ignoscendum. Ita VVirtenbergenses Theologi in lib. aduersùs Anatomiam Lutheri à Pistorio editam. f. 5. 6. 7. & alij nonnulli.

Resp. I. Laterem lauant isti: quia Luthero contradicunt, qui se Euangelistam & Ecclesiasten à Christo ipso nominari, scire certò se dixit ; quod est iudicium maioris dignitatis, quàm conueniat istis *paruis* Prophetis.

II. Minores illi Prophetæ, de quibus agit Paulus,

Paulus, in *essentialibus* fidei, non errabant interpretando scripturam, nec sibi ipsis contradicebant, aliàs Prophetæ diaboli fuissent, non Dei. At Lutherus in *essentialibus* fidei errauit, variauit, sibi contradixit, etiam post cæptam reformationem.

III. Prophetæ illi minores erant maioribus subditi, eorúmque iudicio subjecti, vt fatentur ipsi VVirtenbergici. f. 7. Lutherus suam doctrinam à nemine, ne ab Angelis quidem, censeri voluit.

IV. Alibi Lutherani passim Lutherum nominibus maximorum Prophetarum exornant, eúmque *tertium Eliam*, *alterum Ioannem Baptistam*, *Reformatorem Orbis*, *&c.* appellant, quæ omnia significant Lutherum non inferioris tantùm subsellij Prophetam fuisse.

V. Lutherus ipse, cùm Carolstadius & eius assecl æ dicerent, se principio à Spiritu nondum satis illuminatos fuisse, nec cauâ nuce dignam censuit excusationem. *Diabolus est*, inquit, *qui ita occultè se insinuat & excusat, eò quod initio Spiritum non satis fortem habuerit. Dei Spiritus hâc excusatione non vtitur.* Hoc idem respondeo VVirtenbergicis, & maximè Melchiori, qui dicit, Lutherum non *momentaneo illapsu*, sed *successiuo* illuminatum. Nugæ sunt, & aniles nœniæ; in Luthero Thaumaturgo Arg. 2. refutatæ; sicut enim non potest ostendi, quænam ex Lutheri tam

varijs

varijs & inter se pugnantibus doctrinis à Deo fuerit diuino miraculo comprobata, ita ostendi non potest, quænam ex Luthero plenè & perfectè illuminato doctrina tradita fuerit. Aut enim tandem perfectè fuit illuminatus ante mortem, aut non. Si prius, tunc ab eo tempore non potuit ampliùs errare, adeóque factus est infallibilis; & omnia illa posteriora scripta merentur parem fidem, cum scriptis Apostolicis: Nominent ergo illud tempus. Si posterius, tunc vsque ad mortem fallere potuit & mentiri. Quam ergo meretur fidem iste *tertius Elias, verus Ioannes, alter Paulus, Princeps Theologus, Archangelus, Apocalypticus*, vt eum vocat Spangenbergius? profectò tali Organo ad Reformationem Ecclesiæ per totum Orbem voluisse Deum vti, amens est, qui asseuerat; & indigna de Deo loquitur.

Effugia contra continuam Successionem ab Apostolis.

Effugium I. Melchioris Nicolai.

QVando Pontificij requirunt continuam Ecclesiæ perpetuò visibilis *successionem* in eâdem doctrina, ab Apostolis hujulq; per legitimos pastores deriua-

tam

tam, *ambiguitas est in verbis* (inquit Melchior Nicolai in Symb. Vindicato fol. 409. 410.) *quæ euoluenda. Eandem doctrinam dicis vel ratione substantiæ, vel ratione accidentium puritatis & impuritatis. Si ratione substantiæ perpetuò visibilem successionem in eadem doctrina ab Apostolis per legitimos Pastores deriuatam requiris, Concedo majorem. Cùm enim ex Verbo & Sacramentis nascatur Ecclesia, & nouos subinde Christo sponso suo filios generet, impossibile est, (de ordinaria actione loquendo) nisi illis, quoad substantiam salutis, Ecclesiam esse saluam. Si ratione puritatis eandem doctrinam perpetua visibili successione ab Apostolis per legitimos Pastores requiris, nego majorem. Puritas enim non est de essentia Ecclesiæ simpliciter, sed Ecclesiæ florentis. Confirmantur hæc ex Judic. 2. v. 6. & seqq. Jerem. 23. v. 11. 2. Reg. 19. Ezech 8. v. 5. quæ satis demonstrant non esse de essentia Ecclesiæ perpetuam & visibilem Ecclesiæ in omnimoda doctrinæ puritate conseruationem. & quod Esaias affirmat c. 59. Spiritus meus, qui est in te, &c. non de accidentali puritate, sed de essentiali prædicatione & administratione Verbi & Sacramentorum esse accipienda.* Ita Melchior loco cit.

RESPONDEO.

Dicere *puritatem & impuritatem* doctrinæ esse tantùm *Accidens* Ecclesiæ, est dicere, *Veritatem & mendacium* esse tantùm accidens Spiritus S. ejusq; essentiam incolumem stare, tametsi

Absurdum Melchioris Nicolai

tametsi mentiatur, quæ est execranda blasphemia. Eo ipso enim si Spiritus S. vnum mendacium diceret, Spiritus S. non esset. Ita etiam Ecclesia vera Christi, quæ regitur à Spiritu S. si vel semel à veritate desciscat, Ecclesia Christi esse desinit. Audi Melchior Lutherum tuum (Tomo 7. Germ. VVitteb. fol. 562. a. edit. 1554. apud Ioan. Lufft. *Ecclesia*, inquit, *nec debet, nec potest mendacia, aut errores docere, ne in vnico quidem articulo. Si doceat vnicum mendacium, totum est falsum: sicut Christus ait, Lucæ 1, Vide, ne lumen, quod in te est, sint tenebræ. Si corpus tuum totum lucidum fuerit non habens aliquam partem tenebrarum, erit lucidum totum, hoc est, debet lucidum totum, & nulla pars tenebrarum adesse. Merissimum Verbum Dei, veritatemq; & nullum errorem mendaciúmue debet docere Ecclesia. Et quî posset aliud? Cùm os Dei sit os Ecclesiæ, & Deus non potest mentiri, ITA NEC ECCLESIA.* Hæc tuus Propheta. Ergo puritas est simpliciter de essentia Ecclesiæ.

Lutherus Melchiori aduersatur.

Accedit, quòd supra demonstraui, passim etiam Lutheranos docere, *puram prædicationem* Verbi esse *essentialem* Notam Ecclesiæ: non est ergo tantùm accidens Ecclesiæ.

Nec nobis hîc Melchior occinat distinctionem de puritate *interna* & *externa*, quam supra de *Visibilitate* Ecclesiæ, effugio secundo particulari ostendi, non esse putido ouo dignam,

gnam, sed prorsùs ineptam. De quo plura in *Manuali Lutheranorum*, de Vniuersitate Ecclesiæ ratione temporis §. 3. f. 656. vbi etiam ad loca Scripturæ, quæ hîc allegat Melchior, respondetur. Ecclesiæ enim imputandi errores non sunt, quos committunt, qui *exeunt* de Ecclesia, & desinunt esse membra Ecclesiæ, per falsam fidem.

Effugium II. Petri Haberkorn.

I. COntinua successio temporis, loci, & Doctorum ab Apostolorum temporibus, non est necessaria ad veram Ecclesiam demonstrandam, vt vel ex eo solo patet, quòd multæ Ecclesiæ multis locis vel citò, vel diu post Apostolos plantatæ sunt (velut in Japonia, China factum) quæ tamen ab Apostolis hucusque non sunt continuatæ; quippe quæ sub Apostolis vel nondum fuerunt, vel interea falsis alijs doctrinis plurimis sunt interpolatæ: Sic Athanasius Marco Euangelistæ quidem successit, licet Alexandriæ à Marco vsque ad Athanasium Ariana hæresis diu regnum occupauerit. Nazianzenus Orat. 31. in laud. Athanasij. p. 526. Qui ergo eandem fidei doctrinam profitetur, ille est eiusdem sedis particeps & successor. Cùm ergo Lutherani eandem omnes doctrinam doceant, quam Apostoli, legitimi eorum sunt Successores. Ita Petrus Haberkorn contra Fabrum, f. 571. 572.

II. Etiam hodierna Græca Ecclesia olim fuit vera Ecclesia, vt testantur Pontificij, cui successio temporis & loci, huc vsque, negari neutiquam potest; & tamen, ijdem Pontificij illam negant veram esse Ecclesiam; Igitur successio non est signum requisitum ad veram Ecclesiam. Ita idem Haberkorn contra Fabrum, ibid.

III. Ioannes Gerardus ait; Duplex est successio; vna locorum & personarum; altera doctrinæ. Illam vocare possumus externam, hanc internam. Successio locorum & personarum est accidens quoddam externum & mutabile, neq; quidquam valet ablq; doctrinæ Successione: doctrinæ autem successio est veræ Ecclesiæ propria. Quando igitur negamus successionem Episcoporum esse genuinam & infallibilem Ecclesiæ Notam, de personali successione, quæ doctrinæ successionem coniunctã non habet, id ipsum intelligimus.

IV. Probamus autem I. Non conuenit ista successio *personalis* Ecclesiæ perpetuò ac semper: quia fuit vera & Apostolica Ecclesia, antequam esset talis successio, scilicet in principio & Ecclesia primitiua, in qua Christus & Apostoli docuerunt, quæ fuit flos Ecclesiæ, & tamen caruit istâ personali successione. II. Non conuenit soli veræ Ecclesiæ. Synagoga Iudaica tempore Christi habebat sacer-

sacerdotum successionem, quam vsque ad Aaron poterat deducere, nec tamen cum illa puritas doctrinæ perpetuò fuit coniuncta. Ecclesia Græca successionem Episcoporum suorum vsque ad Apostolorum tempora producit, nec tamen in ea est omni modo puritas doctrinæ. III. Nihil valet personalis successio, nisi conjunctam habeat veram doctrinam: quia vera Ecclesia non potest esse ea, quæ non habet doctrinam veram & Apostolicam, quæ est quasi *Anima* Ecclesiæ. Iam verò successio localis & personalis potest consistere, vt ei non sit conjuncta successio doctrinalis, Actor. 20. v. 29. 30. 2. Thessal. 2. v. 4. 1. Timoth. 4. 1. Timoth. 4. v. 1. 2. 3. 2. Petri 2. v. 1. Ita Ioannes Gerardus lib. 2. speciali parte 1. fol. 1174. & 1175.

RESPONSIO.

Ad I. Continuam successionem temporis, & Doctorum ab Apostolorum temporibus jam esse necessariam, ad veram Ecclesiam demonstrandam, eo modo, quo nos Catholici id requirimus, vel ex eo solo patet, quod ante hac nulla vnquam Ecclesia ab Orthodoxis pro vera habita sit post Apostolorum tempora, vsque ad Lutherum, nisi quæ ritè potuit suæ doctrinæ Originem, continuâ etiam personarum serie ad Apostolos vsque, propagatam esse, seu immediatè, seu mediatè per

Haberkorn in vanum laborat.

traducem, hoc est, per aliam Ecclesiam, quæ ab ipsis Apostolis, aut ab Apostolicis Viris sine degeneratione processerit, demonstrare, quam propagationem antiqui Patres *Consanguinitatem Apostolicam* appellauêre. Et huiusmodi continuâ successione etiam personali, si quæ Ecclesia destituta est, vera Ecclesia non est.

Nec obstat, quòd aliquæ subinde fuerint per hæreses, aut schismata ad breue tempus interpolatæ; modo postea resipuerint: quia tunc censetur quasi *vacâsse* sedes illa aliquantisper, quod in *Moralibus* successionibus nec infrequens est, nec adeò inusitatum; cum & inter Imperatores ac Reges, vno mortuo, donec alius eligatur, aut durante schismate, *vacatio sedis*, nunquam existimata fuerit, legitimo successori obesse, aut continuæ legitimæque successionis filum abrumpere: parum quippe pro nihilo reputatur. Corpus autem Ecclesiæ est *corpus morale*, & quidem amplissimum, ac per vniuersum Orbem diffusum, & vsque ad finem Mundi duraturum; proinde etiam *Moralis corporis* juribus gaudet; & moram etiam annorum viginti ac triginta tolerare potest: quandoquidem ordinariè ac sæpè fieri nequit, vt defuncto vno Papa, mox eâdem horâ, aut die, alius substituatur. De quo videatur Greg. de Valentia, Tom. 3. fol. 293. 274. & in Analysi, quem

Vacantia sedis per breue tempus non tollit successionem.

fallò

fallò ait Gerardus paulò ante citatus, huic argumento succubuisse.

Porrò, quod ad locum attinet, non est necesse, vt quæuis particularis Ecclesia semper ab Apostolorum æuo huc vsque in eodem loco durauerit; cum constet, Christianam fidem plurimis Regnis ac Prouincijs tardiùs esse illatam, & sæpiùs inde iterum ablatam; sed sufficit, si eiusmodi propagatores & auctores fidei habuerint, qui à viris Apostolicis, sine degeneratione vt dictum per successionem ab inito decurrentem, sunt progeniti. Igitur neutiquam Ecclesias ad certum loci cum alligamus, nec eorundem locorum successionem solam, sine vera doctrina, Notam veræ Ecclesiæ esse dicimus, sed eandem cum fide incorrupta per legitimam vocationem, ordinationem, & missionem, Apostolicam in officio pastorali, quod in Ecclesia vera nunquam abrumpitur, licet ratione eorundem locorum sæpiùs abrumpatur, vel alio translatâ sede Episcopali, vel religione Christianâ certis è locis fugatâ, & in alias terras transportatâ.

II. Hinc clarum est, Ecclesias, quæ nunc de nouo plantantur in India, Iaponia, China, &c. nullo penitus successionis legitimæ defectu laborare, sed etiam ab ipsis Apostolis deriuari; non quidem immediatè, sed per *traducem*, & per eas Eccclesias, quæ suam origi-

Quomodo Ecclesia Chinensis, Iaponica, & Indica ab Apo-

stolis deriuata.

originē ab Apostolis ac Apostolicis legitimè possunt demonstrare, nempe per *Romanam*.

III. Non satis est ad veram successionem, de qua agimus, dicere, se eandem fidem profiteri, quam professi sunt Apostoli; quia hoc omnes hæretici dicunt; quo pacto nunquam euincet *Haberkorn* suam Ecclesiam Lutheranam magis veram Ecclesiam esse, quàm Caluinianam, Schvvenckfeldianam, Photinianam, Nestorianam, Arianam, Macedonianam, &c. quæ omnes eodem speciosо, sed confecto mantello se tegunt & texerunt. Igitur suo argumento aut nihil probauit aut contra se pugnauit.

Haberkorn successionem Apostolicam non magis probat, quàm omnes antiqui & recentes hæretici.

Ad II. Græcam hodiernam Ecclesiam negamus habere debitam successionem, qualem nos requirimus; nempe cum inuariata doctrina antiqua & Apostolica coniunctam. Origo enim Græcarum Ecclesiarum, quatenùs hæreticæ & schismaticæ sunt, alitérque docent, quàm Romana Ecclesia, posterior est Romana & Catholica. Nota enim sunt initia Ecclesiarum illarum, quæ describit Stapletonus Controu. 1. q. 4. art. 1. ad 5. arg. f. 77. Certè per multas vniones Romanæ Ecclesiæ reconciliata fuit Græcia, sed sæpiùs pro sua inconstantia resilijt.

Græca Ecclesia caret legitimâ successione doctrinæ.

Ad III. Iam liquet, nos non postulare personarum & temporis successionem, sine successione eiusdem doctrinæ Apostolicæ.

Catholici postulant suc-

Suc-

Successionem verò doctrinæ Apostolicæ aduersarij pro se in æternum non probabunt. Dicunt quidem se inde probare; quòd doceant id, quod Apostoli in S. Scriptura, & Verbo Dei, *(quòd antiquius sit Ecclesia)* docuerunt. Sed 1. falsum dicunt: quia N. T. Scriptura, quæ vtique est Verbum Dei, non est antiquior, sed posterior Christi Ecclesiâ: cùm scripta sit ab Euangelistis & Apostolis, satis diu post Ascensionem Domini, quando jam Ecclesia fuit essentialiter verè constituta. 11. Verbum Dei non nisi per Ecclesiæ ministerium accipimus, tam in se, quàm in sensu suo: propterea quòd sit antiquius Verbum Dei, & quis sensus antiquior, & quæ sit antiquior veritas, iuxta Verbum Dei, non ab ipso Verbo Dei scripto, & lecto, simpliciter ac præcisè, sed ab Ecclesia, quæ est Custos & Interpres Verbi Dei, accipere & intelligere debemus. In qua re, ne erremus, antiquior Ecclesia consulenda est, vt optimè notat in *Principijs fidei* Stapletonus, Controu. 1. q. 4. a. 1. ad 6.

cessionem non tantùm personarum, temporis & loci; sed & doctrinæ.

At, inquiunt, antiquitas qualemcunque vim habeat, ad verum à falso dignoscendum, magis tamen est audiendus, & quidem ante omnes antiquos Patres *ANTIQVVS illle dierum* Daniel 8. descriptus, Deus videlicet in *Verbo suo*, quod est antiquius omnibus Ecclesiæ temporibus. Sic Christus Iudæis li- *Obiectio.*

bellum repudij obijcientibus reſpondit, dicens, *ab initio autem non erat ſic.* Matth. 10. nempe Gen. 2.

Reſponſio.

Reſp. Quid dicat *antiquus ille dierum*, (vtique diligentiſſimè audiendus) longè meliùs docent nos *antiqui* Eccleſiæ Patres, quàm nouelli iſti Magiſtri, prurientes auribus, & non Verbum Dei, ſed ſua figmenta propinantes populo. Exemplum Chriſti de *libello repudij* planè pro nobis eſt: quia nos docet, recentiores corruptelas contra *antiquitatem* non eſſe admittendas; ideò rectè Nouatoribus & Sectarijs verba Chriſti in os ingerimus: *ab initio* (Eccleſiæ Catholicæ) *non erat ſic*, vt hodie eſt apud Proteſtantes. Vultis hoc oculis intueri? ſcribit Lutherus Tomo 2. epiſt. 302. edit. Eiſleb. *Chriſtum à nobis primò vulgatum gloriari audemus.* Et Tom. 2. Ien. Ger. f. 491. ait, *ſe NEMINEM ſcire, qui de fide & operibus rectè iudicare potuerit, exceptis Apoſtolis; in cæteris libris omnibus id non reperiri.* Ergo Lutherus nullum habuit ſuæ doctrinæ ex antiquis Patribus poſt Apoſtolos *Anteceſſorem.* Ergo *ab initio* Eccleſiæ poſt Apoſtolos *non erat ſic.*

Lutherus fatetur ſe poſt Apoſtolos nullum habere in ſua doctrina Anteceſſorem.

Beza in epiſtola Nouo T. ad principem Condæum præfixa, inter traditiones fundamenta Chriſtianæ fidei euertentes, etiam numerat *liberum arbitrium*; quod tota Antiquitas agnouit, teſte Caluino, lib. 2. Inſt. c. 2. §. 4.

vbi

vbi grauiter conqueritur, Chryſoſtomum, Hieronymum, imò *omnes Veteres*, Auguſtino excepto, *ſic in hac re variare aut vacillare, aut perplexè loqui, vt certi ferè nihil, ex eorum ſcriptis referre liceat.* Et paulò poſt. *Quaſi adhuc integer ſtaret homo, SEMPER apud Latinos liberi arbitrij nomen extitit. Græcos verò non puduit multò arrogantius vſurpare vocabulum, ſiquidem αὐτοξούσιον dixerunt, ac ſi poteſtas ſui ipſius penes hominem fuiſſet.* An non hîc fatetur Caluinus ſe ab anteriore antiqua Eccleſia de libero arbitrio diſſentire? *Ergo ab initio non erat ſic*, ſicut de hoc principali & fundamentali articulo docuit Caluinus.

Caluinus fatetur ſe de libero arbitrio à Patribus diſſentire.

Cæterùm, ſucceſſionem perſonarum nihil valere abſque doctrinæ ſucceſſione, nos vltrò fatemur; nec opus eſt vt id nos jam docere velit aduerſarius.

Ad IV. Vt clarè perſpiciatur inanitas hujus argumenti.

Notandum I. Alium eſſe ſtatum Eccleſiæ naſcentis, alium proficientis & adultæ; vt in homine aliud eſt infantia, aliud adoleſcentia, aliud virilis ætas; ſecundùm quam differentiam, licet hominis proprietas ſit, linguâ articulatè loqui, intellectu diſcurrere, &c. tamen dum eſt in cunis infans, id in actu 2. non præſtat, ſed poſtquám ad maiorem ætatem peruenit. Sic habet Eccleſia aliquas proprietates (vt eſſe diffuſam per totum Orbem,

habere ſucceſſionem legitimam Paſtorũ, &c.) quæ illi tantùm in certo ſtatu, non in omni, *quoad actum ſecundum* conueniunt.

Notandum II. Sicut *diffuſam eſſe* Eccleſiam per totum Orbem, extenſionem quandam ad plura loca ſignificat, ita *ſucceſſio* extenſionem ad aliquid prius, & poſterius inuoluit, vt ex Philoſophia de *Tempore* notum. Quare cùm ad veram Eccleſiam requirimus *Succeſſionem*, loquimur de Eccleſia quoad vtrumque ſtatum, primæ ſcil. & poſterioris ætatis: quia vt ſit ſucceſſio; oportet aliquid prius eſſe, & aliquid poſterius.

Notandum III. Nos ex *ſucceſſione* contra aduerſarios non argumentari *affirmatiuè*, ſed *negatiuè*: nempe in illorum Eccleſia non reperitur ſucceſſio legitimè continuata & deriuata ab Apoſtolis: Ergo non eſt vera Eccleſia. Iſtis notatis,

Ad argumentum directè *Reſpondeo.* I. Non conuenit in actu 2. iſta perſonalis ſucceſſio Eccleſiæ perpetuò ac ſemper: Quid tum? ſatis eſt, ſi Eccleſiæ conueniat in tali ſtatu, in quo nunc eſt conſtituta, & eſſe cæpit ſtatim à tempore Apoſtolorum. Promiſit enim Chriſtus ſuæ Eccleſiæ mox in principio, fore, vt duret *vſq; ad conſummationem ſæculi*, conſequenter promiſit *ſucceſſionem* perſonalem, ſine qua duratio tanta eſt impoſſibilis; quandoquidem Apoſtoli naturâ ſuâ mortales fuerunt,

sunt, & eò vsque neutiquam victuri. Hinc Apostolo Petro successit Linus, Cletus, Clemens, &c. & Apostolo Paulo Timotheus, Titus, &c.

Deinde etiam simpliciter responderi & quidem rectiùs, negando moraliter istam *successionem personalem non conuenire Ecclesiæ perpetuò ac semper.* Cùm enim Ecclesia sit corpus *Morale* successiuum) sicuti est quælibet *Respublica*) cum corpore hoc necessariò est coniuncta personarum successio, quandoquidem ex Dei ordinatione vsque ad finem Mundi debet perdurare. Habuit igitur locum etiam in prima Apostolica Ecclesia, vt videmus in Christo, cui successerunt, saltem vt ministri, ipsi Apostoli: deinde in Iudæ Apostolatu, cui successit Matthias. Actor. 1. sicuti S. Petro Antiochiæ successit Euodius, & S. Paulo adhuc viuo, alij, quos pluribus locis constituit Episcopos, in quibus ipse vtique fuit primus Episcopus; & eadem est ratio aliorum Apostolorum, qui & ipsi habuerunt suos successores, vt verè dici possit, etiam primam Ecclesiam Apostolorum, successione non caruisse.

II. Esto, etiam Iudaica Synagoga potuerit suam successionem sacerdotum vsque ad Aaronem deducere; nihil tamen illa successio nobis officit: I. Quia non argumentamur ex *successione* seorsim accepta, affirma- *De Synagoga Iudaica & Pharisæa.*

tiuè, ſed negatiuè contra proteſtantes; aut ſi argumentamur affirmatiuè, illi coniungimus omnes alias Eccleſiæ Notas, cum quibus ſimul ſumptis efficax ſit argumentum: II. Nondum probauit aduerſarius, Phariſæorum & Sadducæorum doctrinam, quà publica & dogmatica erat, & ex cathedra Moyſis tradebatur, à communi & Syncera Iudæorum doctrina diſcrepâſſe, aut aliquid impuritatis habuiſſe: quà verò priuatam ſectam illi profitebantur, non negamus fuiſſe erroribus contaminatam; quod tamen neq; toti Eccleſiæ, neque ordinario paſtorum officio erat imputandum. III. Quidquid ſit de Synagoga, non eſt illius par ratio cùm Eccleſia Chriſti, quæ longè habet ampliores de perpetuitate, adcóque de ſucceſſione promiſſiones; vt ſæpè dictum. non mirum ergo ſi Synagoga in paſtoribus ſuis miniſterialibus defecit, quando præſente ipſo ſupremo & principali paſtore Chriſto, ipſa debuit finem accipere, & figura cedere figurato, atq; vmbra luci.

Alia obiectio Gerardi de ſucceſſione.

III. Et nos dicimus, nihil valere perſonalem ſucceſſionem, niſi conjunctam habeat veram doctrinam. Igitur hîc aërem verberat Gerardus.

Sed iterum opponit Gerardus, fol. 1175. Si à ſucceſſione ad veritatem Eccleſiæ non poteſt concludi *affirmatiuè*, vtique ſucceſſio non erit

erit propria Ecclesiæ Nota; æquè profectò impertinenter *successionem* Ecclesiæ notã dicunt, ac si ego, bipedem esse, hominis notam dicerem: ac mihi obijcienti, etiam gallus est bipes, responderem, non omne quidem bipes esse hominem, sufficere tamen hanc notam ad ostendendum nihil quod non est bipes esse hominem, nonne egregia foret responsio?

Resp. Nonne puerilis est ista oppositio? Nam ex Dialectica nôsse debuisset Gerardus etiam aliqua *propria 2. modo* (cujusmodi est *bipedem esse*) secundùm aptitudinem, licet non soli alicui speciei conueniant, sed & alijs, nihilominus *necessariò* conuenire, ita, vt si negentur de subjecto, etiam ipsum subjectum negari necesse sit, vnde rectè concluditur. Istud animal non est aptum ex nota sua, ad habendos duos pedes. Ergo non est homo. sic nos argumentamur *ex successione* de vestra Ecclesia.

Effugium III. Ferè omnium Protestantium.

De prosapia Protestantium, à Schismaticis, & Hæreticis derivata.

VT Protestantes suam Ecclesiam in longinquum protendant, & cum anterioribus temporibus confibulent, turbam quampiam infantum, Pseudomartyrum, vt Hussi & Hussitarum, Schismaticorum & Hæreticorum maximè VValdensium,

ſium, & Pauperum de Lugduno; denique moribundorum in ſubſidium aduocant, & ſic ſuæ fidei proſapiam ſe ab Apoſtolica Origine continuâ ſucceſſione deriuâſſe magnificè gloriantur, vt videre eſt apud Meiſnerum coutra Leſſium, Melchiorem Nicolai in Symbolo Vindicato, & alios paſſim.

Reſpondeo; Hoc effugium ne teruncij quidem eſſe, in *Manuali Lutheranorum* prolixè & ſolidè oſtendi, & omnia in particulari refutaui: cap. 5. à fol. 666. vſque ad 727. quò Lectorem remitto; quæ hîc longum eſſet repetere.

Effugium IV. Dorſchei.

I. SAnctus Auguſtinus lib. contra Epiſt. *Fundamenti*, inter alia hæc habet: *Tenet me* (nempe in Eccleſia Catholica) *ab ipſa Sede Petri Apoſtoli, cui paſcendas oues ſuas poſt reſurrectionem Dominus commendauit, vſq; ad præſentem Epiſcopatum, ſucceſſio ſacerdotum, &c.* Vnde Pontificij, *ſucceſſioni* ſuæ fulcrum quærunt. Sed fruſtra. Quia S. Auguſtinus mox ſubiungit: *Si Manichæus ipſi veritatem ita monſtraturus eſſet, vt nullam cauſam haberet dubitandi, tunc id omne, quo in Catholica tenetur, ipſum non amplius retenturum eſſe.*

Et in Epiſt. 105. loquitur S. Auguſtinus quoque de ſucceſſione Romæ; ſed addit paulò poſt.

lò post. *Quanquam non tam de istis documentis præsumimus, quàm de Scripturis Canonicis.*

II. Etiam considerandum, quòd Ecclesia, cujus authoritatem S. Augustinus tunc respexit, in longè alio statu fuerit, quàm sit Ecclesia, ad quam nos remittunt Pontificij. Episcopi Romani tunc non Monarchici mundani homines, sed docti, & Scripturarum periti fuêre, è quibus aliqui Sanctis adnumerati, & à Luthero sancti appellati. Iam verò Romani Episcopi tales sunt, vt Alphonsus de Castro ausus fuerit scribere, aliquos Pontifices, ne Gramaticam quidem intelligere. aduers. hæres. præfat. ad Reg. Hisp, &c.

III. Tempore Augustini fuit successio personalis & doctrinalis. Iam verò non solùm doctrinalis est subuersa, sed etiam personalis est incerta, propter tot schismata, quæ successionem papalem interruperunt. Ita Ioan. Georg. Dorscheus in scrupulis Religionis, scrup. 16.

RESPONDEO.

Ad I. Si Dorscheus locum S. Augustini non subdolè truncâsset, sed fideliter totum recitâsset, facilè apparuisset omnibus, quàm obtusum telum strinxerit, postquam enim S. Doctor multa enumerauit, quib' in Ecclesia Catholica teneatur, inter quæ est etiam *successio sacerdotum, &c.* subiungit: *Ista ergo*

S. Augustini duo loca explicantur.

tot & tanta Christiani nominis charissima vincula rectè hominem tenent credentem in Catholica Ecclesia, etiamsi propter nostræ intelligentiæ tarditatem, vel vitæ meritum, veritas rondum se apertissimè ostendat. Apud vos autem (Manichæos) *vbi nihil horum est, quod me inuitet & teneat, sola personat veritatis pollicitatio, quæ quidem si tam manifesta monstraiur, vt in dubium venire non possit, præponenda est omnibus illis rebus, quibus in Catholica teneor.: Si autem tantummodo promittitur & non exhibetur, nemo me mouebit ab ea fide, quæ animum meum tot & tantis nexibus Christianæ religioni adstringit.* Ex quibus manifestum, S. Augustinum non per modum dubitantis, sed seriò & grauiter asseuerantis loqui, & prædictas notas Ecclesiæ, quas ait in Catholica Ecclesia tantùm, non item in Manichæorum cætu reperiri, pro validissimis *Motiuis* habuisse, cur potiùs credat Catholicam Ecclesiam esse veram, quàm Manichæorum; vbi tantummodo promittebatur plenis buccis veritas, minimè autem præstabatur; neque vlla alia aderunt indicia, quibus prudenter credibile fieret apud ipsos veritatem inueniri. Et de hoc adeò apud animum suum certus erat S. Augustinus, vt auderet, quasi prouocando Manichæos, aut illis insultando ex magna confidentia de veritate suæ fidei, in hunc sensum illos alloqui: ostendite, si potestis, & in medium producite, apertiora, clariora magis indu-

indubitata, quàm nos habeamus; & noſtra deſeremus. Sed quia mihi penitiſſimè conſtat, vobis nihil tale ſuppetere, nemo me auellet, inquit, à Catholica Eccleſia, cui me Deus tot & tantis nexibus adſtrinxit. Qui modus loquendi eſt figuratus, & ſine vlla ambigentis animi titubatione: quali etiam Paulus eſt vſus, Gal. 1. v. 8. dicens: *Sed licet nos, aut Angelus de cælo Euangelizet vobis, præter quàm quod Euangelizauimus vobis, anathema ſit.* Non quia id fieri poſſe exiſtimabat, ſed quia ſi per impoſſibile hoc fieret, maiorem tamen eſſe debere manifeſtæ veritatis vim, quàm authoritatem prædictã, ſicuti accepti Euangelij certitudinem maiorem eſſe voluit Paulus, quàm nouam ab Angelo doctrinam, vt optimè aduertit Stapletonus Contrau. 1. de Eccleſia in ſe, q. 4. art. 2. ad 11. arg.

Stat igitur adhuc iſta ſententia S. Auguſtini pro *ſucceſſione*, quæ Proteſtantibus deeſt, inconcuſſa.

IV. Alter locus S. Auguſtini, quem Dorſcheus malè quoque citat ex epiſt. 105. in illa epiſtola non inuenitur; proinde reſponſum non meretur, donec rectè citetur. Quamquam facillima ſit reſponſio, etiam ſi alibi Auguſtinus ſcripſiſſet illa verba. Quia nos ipſi libenter fatemur, eiuſmodi notas Eccleſiæ non eſſe paris authoritatis cum ſcriptis Canonicis, quibus eas minimè æquiparamus; non

tamen

tamen hinc sequitur, nullam omnino habere probandi vim; sed sunt via & manuductio ad cognoscendam ipsam Scripturam sacram, & veram Ecclesiam.

Ad II. Ecclesiam tempore S. Augustini essentialiter, & in fundamentalibus fidei in alio statu fuisse, quàm nunc sit, constanter negamus. Contrarium plurimis libris demonstrauimus, nominatim per *Confessionem Augustinianam*, & *Opus Catechisticum* Patris *Petri Canisij* in fol. quibus addo Philippi Eilbrachtij *Viam compendiariam* ad Catholicam Ecclesiam, in qua ex ipsis Protestantium libris robustissim è demonstratur, à c. 14. vsque ad 21. Ecclesiam Romanam hodiernam consentire cum antiqua vera Ecclesia, non solùm quæ fuit temporibus S. Augustini, sed etiam anterioribus sæculis, quo Lectorem remitto.

Quòd verò Episcopi Romani nunc habeant splendorem exteriùs & potentiam aliquam temporalem maiorem, quàm tunc habuerint, id essentiam fidei & Ecclesiæ veritatem non mutat. Est accidens, quod potest adesse & abesse.

Licet autem fuissent aliqui Pontifices Grammaticæ minùs periti; non tamen hinc sequitur, eos suo munere Pontificio minùs rectè potuisse defungi. Potest enim etiam esse eximius Theologus & Iurisperitus, qui non est bonus Grammaticus, quod plurimi

libri

libri in Bibliothecis testantur. Quid enim habent Diuina cum Grammatica?

Ad III. Si tempore Augustini fuit in Ecclesia successio personalis & doctrinalis, vt fatetur Dorscheus, suo gladio se ferit; quia hinc sequitur protestantium Ecclesiam nunc non esse talem, qualis fuit tempore S. Augustini; cùm apud protestantes neutra successio reperiatur; Has autem in Catholica nostra Ecclesia non reperiri, falsum est.

Dorschaeus se ipsũ cadit.

Schismata, quæ subinde exorta sunt, & aliquandiu durârunt, sicut etiam doli, ambitiones, largitiones, &c. quæ in electionibus nonnunquam interuenerunt, *moralem* successionem non censentur sustulisse, vt paulò ante dictum. Nam licet nonnunquam tempore schismatis determinatè non constet, quis è duobus, vel tribus successerit, constat tamen, quòd aliquis ex illis successerit, quod sufficere potest ad probandam successionem.

Exigui etiam temporis *Vacatio* in mille quingentorum annorum deuolutione pro nihilo habetur; præsertim cùm interim electio esset *in fieri*, & continuo quasi motu: Quis autem in huiusmodi electionibus, successionem *mathematicam*, & punctualem minutatim requirat, & moralem excludat? Adde quòd subinde etiam breui deprehensum sit, quis esset legitimus Pontifex, vel si discer-

De vacante sede Apostolica, item de schismate &c.

ni non posset, pro *vacante* sedes sit habita, & ad nouam electionem processum.

Quæ de ambitione & dolis Pontificum eam dignitatem prensantium declamitant, partim calumniæ, partim ex malè erga sedem Apostolicam, ob negata quædam beneficia pinguiora, affectis auctoribus corrasa blateramenta sunt, ad quæ magnam partem respondit Iacobus Gretserus iu *Mysta Salmuriensi*. Quod si autem tale quid interuenisset, non inualida, sed illicita fuisset electio. Denique non est contemnendum commune Ecclesiæ iudicium, quo illa ejusmodi electos recipit, & tacitè approbat, licet clam aliquid minùs decens irrepisset.

Effugium V. Philippi de Mornay.

I. PErsonarum successio prorsùs nihil facit ad rem, nisi sanam doctrinam adiunctam habuit, teste Tertulliano de Præscr. qui *præter ordinem Episcoporum ab initio decurrentem, &c.* etiam requirit *Consanguinitatem doctrinæ*. Hoc si ita est, non erit *successio* Ecclesiæ *Nota*, sed pura doctrina, quam Protestantes se habere gloriantur.

II. Successio etiam penes hæreticos antiquos inueniebatur. An non S. Paulus apertè prædixit, in successione Ecclesiastica etiam fore lupos? Actor. 20. pastores alloquens ait:

Exurgent

Exurgent ex vobis ipsis viri peruersi, vt abducant discipulos post se. Ita Philippus de Mornay & alij apud Stapletonum Contr. 1. q. 4. art. 2.

RESPONSIO.

Notetur I. Argumentum nostrum negatiuum ex *successione* continua Pastorum ab Apostolis, contra Protestantium Ecclesiam, fundari in 4. principijs á me hactenus probatis. I. Quòd Ecclesia ab Apostolis instituta, fuerit vera Ecclesia; quod nec Protestantes negauerint. II. Quòd illa ipsa Ecclesia fuerit hucusque perpetuò conseruata, & nunquam vniuersa perierit in Theoremate 4. III. Quòd conseruata sit per Pastores & Doctores ad Ephes. 4. IV. Quòd vera Ecclesia non sit nisi vna, seu vnica Theoremate 2. vnde euidenter sequitur, non esse veram Ecclesiam, nisi Pastores habeat continua serie ab Apostolis successione legitimâ descendentes.

Notetur II. Antesignani Protestantium Lutherus & Caluinus, &c. non successerunt legitimè alijs Ecclesiæ legitimis Pastoribus: Successio enim tanquam relatiua, respicit duos terminos, quorum alter antecesserit, alter in eodem genere sequatur: vt supra monuimus. Lutherus autem & Caluinus neminem habuerunt antecedentem in eo gene-

Successio respicit duos terminos; prius & posterius.

re doctrinæ, vt demonstratum; Dici ergo non potest, ipsos legitimos esse successores, missos à Deo.

Notetur III. Non esse veram & legitimam successionem, quæ est Ecclesiæ nota, nisi illorum pastorum, qui cum suis antecessoribus etiam legitimis, à quibus ordinati sunt, vnitatem fidei teneant, & nihil nouæ doctrinæ afferant. Successio igitur tamdiu est certæ veritatis notâ, quamdiu is qui succedit, cum antecedentibus & originalibus Apostolicis viris continuè conspirat.

Notetur IV. Ob hanc causam Ecclesia semper adhibuit cautelam, vt legitima successio custodiretur: in omni Episcoporum ordinatione, certo ritu & Sacramento per *impositionem manuum presbyterij* vsa est. (1. Timoth. 4. 5. & 2. Timoth. 1.) ne aliquid per tyrannidem, aut alia ratione, perperam fieret; II. De omnibus electis nouis Episcopis litteræ per omnes Prouincias, & maximè Romam mittebantur, quæ de tali electo alios Episcopos certiores facerent; quibus litteris etiam fidei suæ professionem nouellus Episcopus suis collegis transmittendam adjungere debebat; quod erat apud Veteres *Synodicam dare.* vt videre est apud Cyprian. lib. 4. epist. 9. lib 1. epist. 4. lib. 4. epist. 2. & Apud Ambros epist. 82. Hunc autem morem in 4. præcipuis Christiani orbis partibus,

Roma-

Romana, Alexandrina: Antiochena & Hierosolymitana viguisse meminit Gregorius in Regiſtro lib. 4. epiſt. 2. Indict. 2. &c. III. Etiam in deponendis Epiſcopis, qui ſucceſſionis lineam abrupiſſent, idem mos ſcribendarum litterarum fuit obſeruatus. Cypr. lib. 1. epiſt. 3. 4. Leo. M. epiſt. 9. Ireneus lib. 3. c. 4. Euſeb. Eccleſ. Hiſt. lib. 7. c. 24. IV. Et Romani Pontificis requirebatur Confirmatio, Leo M. epiſt. 33. 34. &c. V. Denique etiam inter ſacra Miſſarum ſolennia omnium Catholicorum Epiſcoporum viuentium nomina in præcipuarum Eccleſiarum ſedibus commemorabantur, quod vocabant in *Diptycho nomen habere*, quaſi dicas, *in Eccleſiæ Matriculam & Tabulas referri.* Greg. M. in Regiſtro lib. 6. epiſt. 64. Hæc ferè Stapletonus Controu. 1. q. 4. art. 2.

Notetur V. Etiam per perſonalem legitimam ſucceſſionem aptiſſimè aliquo modo probari ſucceſſionem doctrinalem. Vt enim aliquis tunc optimè probat ſe patrimonium certum v. g. arcem, agrum, &c. aut nobilitatem antiquam à maioribus ſuis, qui ante aliquot ſæcula vixerunt, accepiſſe, cùm oſtendit id ſe accepiſſe à legitimo ſuo parente, & hunc rurſùs à Patre ſuo, & iſtũ item à ſuo, ſicq; deinceps vſq; dũ ad familiæ caput peruenia-tur; ita rectè probamus doctrinam, quam hodie tenemus, eſſe Apoſtolicam, ſi probe-

mus eam nos à maioribus nostris inuariatam, & hos ab alijs, & alios ab ipsis Apostolis continua serie successionis, tanquam hæreditatem accepisse. Quam probandi rationem SS. Patres passim contra hæreticos vsurpârunt; vt Irenæus lib 3. c. 3. Augustinus epist. 165. Cyprianus & alij, maximè Tertullianus de Præscr. *Edant inquit, origines suarum Ecclesiarum, euoluant ordinem Episcoporum ita per successionem decurrentem, &c.* Cùm ergo Protestantium Ecclesiæ huiusmodi successionem personalem ostendere pro sua Ecclesia nequeant, meritò illæ repudiantur.

Quare personalis successio sit adeò necessaria? quia per illam facilùs deuenitur etiam ad doctrinalem.

Istis notatis ad I. dico, falsum est, personalem successionem nihil facere ad rem; quia datâ legitimâ successione personali, indubitatè sequitur etiam vera doctrina: successio enim legitima non est, vt notando 3. diximus, quando successor à sui antecessoris doctrina recedit: vnde, si quis probet suum Antecessorem eandem doctrinam tenuisse, & ille Antecessor idem de suo Antecessore potuit demonstrare, & sic deinceps quilibet de suo Antecessore vsque ad Apostolos, profectò abesse non potest, quin si quis hâc ratione personalem successionem probauerit, etiam doctrinalem probâsse censeatur. Quibus non contradicit Tertullianus, sed illa magis confirmat. Ideò autem etiam personalem successionem ad notam Ecclesiæ requirimus,

quia

quia est notior respectu nostri, quàm vera doctrina. Hinc Christus sæpiùs jussit cauere à falsis doctoribus, quàm à falsa doctrina. Matth. 18. Ioan. 10. Matth. 24. doctrina enim ipsa non loquitur, sed à Doctoribus docetur, explicatur, & vera demonstratur, atque à falsa discernitur in particulari, & in suis causis & principijs, quod judicium non est populi, vt supra diximus. De quo pluta Stapletonus loco cit. Notab. 3.

Ad II. Successio quidem fuit etiam penes aliquos antiquos hæreticos; sed non legitima; & tantùm materialis, in eadem sede; non autem in eodem genere doctrinæ, vt Notabili 2. & 3. dictum. Id quod etiam de ijs dici potest, de quibus Actor. 10. agitur.

Effugium Melchioris Nicolai.

De Conuersione Infidelium.

DE hac re agitur initio huius *Quæstionis vexatæ*, in *Ratione 7.* dubitandi.

Sunt, qui dicant, iam satisfactum esse istis prophetijs, tribus primis seculis: sed falsum dicunt.

Sunt ex Aduersarijs apud Brerleium paulò post citandum, qui dicunt, hanc conuersionem jam factam esse tribus primis sæculis, post Christum, & sic Prophetias illas sufficienter esse impletas; ideò non esse opus, vt à posterioribus sæculis vlteriùs aliquid in hoc genere requiratur.

Sed hoc falsum esse ex Ecclesiasticis Histo-

rijs eſt manifeſtum: quia nunquam maiores perſecutiones paſſa eſt Eccleſia, quam tribus illis primis ſæculis vſque ad Conſtantinum M. teſtatur hoc Barlous ſuperintendens Lincolnienſis in *Diſcrepantia articulorum Relig. Proteſtantium*, f. 14. *In primitiua* (inquit) *Eccleſia hoc promiſſum de Regibus ſe ſe Eccleſiæ ſubmittentibus, nondum perfectè impletum eſt: quia tunc illa potiùs Chriſti prophetia locum habuit: ante Reges & Præſides ducemini propter nomen meum, & morte vos afficient.* A tempore verò Conſtantini per tria ſæcula vſque ad Bonifacium tertium, præter Imperatores Orientis & Occidentis, pauci Reges Chriſto nomen dederunt, è quibus tamen Iulianus Apoſtata fuit, & alij nonnulli Ariani. à Bonifacio verò tertio, circa annum 600. vſque ad Lutherum per plures conuerſiones pluribus locis, prædictæ Prophetiæ aliquo modo impletæ ſunt, vt fuſè oſtendit Ioannes Pappus in Epitome Hiſtor. Eccleſ. at nemo illorum Regum fuit Lutheranus, nemo Caluinianus, aut *Proteſtans*, ſed aliqui Ariani, plurimi Catholici, vti probat Brerleius in Apologia Proteſtantium, f. 478. 479. & huiuſmodi conuerſiones ad fidem Catholicam innumeræ factæ ſunt iſto & ſuperiore ſæculo in India, China, Iaponia, vt facile ſit intelligere, cuj Eccleſiæ conueniant illæ Prophetiæ.

Hinc grauis oritur quæſtio, quonam ex

diuino

diuino præcepto confugere, & ad quem cætum Christianum visibilem se se adiungere debuerint, ante Lutherum, infideles, qui salutarem veritatis Christianæ cognitionem, & vitam æternam consequi voluerunt?

Status Quæstionis.

Respondet huic quæstioni Melchior Nicolai in Symbolo Lutherano Vindicato, fol. 209. 210. *Ad Ecclesiam illi confugere debebant visibilem, quæ non ideò nulla erat, quia Pontificum tyrannide & superbia oppressa erat. Ad eam cùm veniebant, accipiebant Verbum ibi depositum & conseruatum, ex quo discebant, qui veritati non resistebant, adiunctum traditionum fermentum non esse accipiendum. Absurdum fortè hoc putas, adiungi aliquem Ecclesiæ, & non omnia in Ecclesia tradita amplecti. At negamus tradere Ecclesiam, quæ vos, traditionibus diuinis, quas solas amplectitur, assuistis. Zachariam considera. Is fuit visibili Iudæorum Ecclesiæ adiunctus, imò publico officio in ea functus est. Num autem Pharisæorum & reliquorum sacerdotum erroribus consensit? Negat Scriptura, negat Ecclesia. Idem de Nicodemo censebis, si sapis. Cur ergo infideles non potuerunt amplecti Verbum à Deo traditum, & omittere assumentum ab hominibus superadditum? & non solùm Ecclesiæ visibili, in qua sunt etiam hypocritæ, sed in quo vnicè, salus sita est, Ecclesiæ invisibili se se toto corde adiungere? Nunquam ergo desinit Ecclesia, quia nunquam desinit operator Spiritus ex tenebris faciens lucem Euangelij splendescere.* Ita Melchior.

Responsio Melchioris Nicolai.

RESPONSIO. Authoris.

Responsio Authoris contra Melchiorem, ex fundamentis aduersariorum.

Libenter accepto, quod mihi sponte dat Melchior, & in authorem id retorqueo.

I. Si superioribus sæculis, quibus nulla alia erat Ecclesia visibilis, quàm Pontificia, infideles, salutis æternæ cupidi, ad Pontificiam visibilem se conferre ex mandato Dei debuerunt, sequitur euidenter. I. Ecclesiam Pontificiam tunc veram Christi Ecclesiam fuisse: non enim est credibile, Deum voluisse, vt ejusmodi infideles, qui salui fieri desiderabant, ad falsam Ecclesiam se aggregarent. Cùm enim Deus in Scriptura omnes jubeat *fugere cathedram pestilentiæ*, psal. 1. *vitare falsos Prophetas*, Matth. 7. *alienum non sequi* Ioan. 10. *non exire ad Pseudoprophetas dicentes hîc est Christus*. Matth. 24. *à lupis rapacibus, Pseudoapostolis, & operarijs subdolis cauere*. Act. 20. abstinere *à Magistris mendacibus* 2. Petri 2. quis nisi insanus, credat, Deum sibi ipsi adeò contrarium fuisse, vt voluerit infideles ad Pontificiam Ecclesiam accedere, nisi illam judicâsset esse veram Ecclesiam? II. Sequitur euidenter Protestantium Ecclesiam non esse veram Ecclesiam: quia tunc nusquam fuit visibilis; alioquin ad illam debuissent infideles se conferre, si ipsa esset vera Ecclesia; Hoc autem factum non est; Ergo neq; nunc Protestantium Ecclesia, est vera Ecclesia,

cùm

cùm sit Ecclesia noua, & nontinua serie ab Apostolis descendens.

II. Talia scribunt Protestantes de Ponrificia Ecclesia, vt sine summa blasphemia dici non possit, Deum præcepisse, vt infideles, si saluari cuperent, se Ecclesiæ Pontificiæ associarent. Ergo aut mentitur Melchior, aut blasphemat.

Probatur Antecedens. Quid communius apud Protestantes, quàm Ecclesiam Pontificiam esse *Regnum Antichristi*, esse *Babylonem magnam*, de qua dicitur Apocal. 18. v. 4. *Exite de illa populus meus, vt ne participes sitis delictorum ejus*: In quem locum Conradus Schlüsselburgius Lutheranus lib. 8. catalogi hæretc. in Dedicat. sic scribit: *Certum & hoc est, non esse rem liberam, sed clarissimi iuris & præcepti diuini, vt omnes mortales, cujuscunq; illi sint tandem sexus, ordinis, excellentiæ authoritatis, summâ curâ & seueritate caueant, fugiant, detestentur falsa dogmata & falsos Doctores ipsos, atq; adeò malignantium Ecclesiam vniuersam, idq; faciant corde, rectè juxta Verbum Dei judicante, voce perspicuâ, confessione intrepidâ, & totius vitæ ratione. Ea enim de re extant illustria dicta, Attendite vobis à Pseudoprophetis, &c. Nec AVE ej dicatis. Odiui Ecclesiam malignantium, & cum impijs non sedebo, &c. & alia plurima, &c.*

Eadem habent Magdeburgenses in Dedicat. Cent. 8. *Discernenda sunt*, inquiunt, *opera Diaboli*,

Diaboli, & opera Dei. Cujlibet attendendum eſt, vt ſit in Eccleſia vera Dei, & non ſit membrum Eccleſiæ malignantium. Exeundum eſt ex mandato omnipotentis Dei è regno Antichriſti, doctrinâ, inuocatione, & publicâ confeſſione, ſub pœna temporalium & æternorum ſuppliciorum. Clara eſt enim iſta vox Ioannis, EXITE ex illa populus meus.

In eundem finem hanc S. Ioannis ſententiam quoque allegant Theologi VVittenbergici, anno 1625. in *Fideli Admonit. ad Euangelicos in Bohemia preſſos, &c.* pag. 233. & Thummius in libello Germanico ad eoſdem circa finem. Igitur etiam aduerſariorum judicio præcipit Deus generatim fugere omnes falſos Doctores, omnemque Eccleſiam falſam. Si ergo Proteſtantium judico, Eccleſia Pontificia eſt *Regnum Antichriſti*, & *Magna Babylon, &c.* ſine ſumma blaſphemia dici non poreſt, Deum juſſiſſe Infideles ad Pontificiam Eccleſiam ſe aggregare: qui omibus hominibus contrarium tam ſeuerè mandat, nempe vt *Exeant*, & ſe ſegregent ab illo cætu; nec AVE illi dicant.

Audiamus Thumium Tract. de Reform. M. Lutheri circa finem pag. 130. *Papiſmus eſt religio ex Phariſæiſmo & Ethniciſmo compoſita, cujus homo (Papa) reſolutio, Epicurea dubitatio, & finalis deſperatio.*

Henricus Höpfnerus in præfat. *Saxoniæ Euan-*

Euangelicæ; Papismus (inquit) *est variarum in doctrina Christiana corruptelarum, & OMNI GENAE IDOLOLATRIAE officina.* Item, fol. 651. *Totus Papismus nil aliud est, quàm vitium & gangrena Religionis sinceræ.*

Similiter *Facultas Theologica VVittebergensis* in lib. cit. ad Euangelicos, toto cap. 3. varias rationes affert, cur Papatus sit cane peius & angue fugiendus, videlicet, *quod contemnat Verbum Dei, quod nitatur principijs falsis, quòd grauissimè erret: quod dogmata & cultus habeat in Scriptura non contentos; quod contradicat Verbo Dei, & sibimetipsi; quod suis cultoribus consolationem auferat, conscientias inquietet, miserèq; torqueat, Magistratus & subditos summo seruitutis jugo deprimat, vt Papistam fieri, idem sit, quod diuinitùs concessam libertatem vendere: Quod dolos vanos & multa falsi crimina in propugnanda & propaganda sua religione vsurpet: Quòd vniuersus Papatus obrutus sit peccatis, quibus ansam det ipsa religio Papistica, vt sunt Idololatrica, contemptus Verbi diuini scripti, perjuria, Tyrannis, concubinatus, sacrilegium, simonia, & similia, de quibus participare, & sic æternas sibi pœnas attrahere CONCITVR QVIVIS suo calculo Papismum approbans. Deniq; quòd à veritate ad falsitatem, à Verbo Dei ad humanas adinuentiones à recto tramite ad auia, à solatio ad desperationem, à libertate in seruitutem, à cælo in infernum suos cultores abducat: quòd sedeant Pontificij in Regione mortis:*

Facultas Theologica VVittebergen-

Et PLERAQVE Agnitionis MEDIA illis sint EREPTA, qui Papismo sunt addicti.

His & alijs plurimis de caulis, fol. 233. obtestantur omnes Euangelicos in Bohemia VVittenbergici, ne ad Papisticam Religionem se conferant, sed quàm longissimè ab ea fugiant.

Lutherus de Papa & Papatu.

Lutherus quoque Tom. 7. VVitteb. pag. 458. & 464. Papam sic describit. *Est abominatio (vt Christus Matth. 24. ait) omnis idololatria ab omnibus Diabolis ex inferno Barathro producta. Et cæcis clarum esse potest, Papatum esse spectrum medaciorum à Diabolo in Ecclesiam introductum ad hoc, vt NIHIL, nisi mendacia, blasphemias, idololatrias in ea pariat, ad fidem & Verbum Dei perdendum, & extirpandum, & ea occasione omnia rapiat, quæ orbis terrarum, (quà patet) habet & possidet, & OMNES animas diabolo tradat.* Et rursùm Tomo 7. VVitt. fol. 470. *Extra omnem curam & dubitationem scire debes, nec Papasinum, nec Romanorum Sycophantarum & Nebulonum Scholam, vnum ex decem Decalogi præceptis intelligere, néq; vllam oratonis Dominicæ petitionem, néq; aliquem articulum Symboli Apostolorum, néq; scire, quis sit verus sacramentorum sensus, & hypothesis, aut ad quem vsum debeant adjungi & aptari, aut quæ vita sit hominis Christiani.* Hæc Lutherus.

Vnde sic argumentor. Hæc omnia, quæ recitauimus ex Schlusselburgio, Magdeburgensibus,

genſibus, Höpfnero, Thummio, Theologis VVittebergenſibus, & Luthero, aut vera ſunt, aut non: Si vera ſunt, tunc atrociſſimâ Deum Optim. Maximum afficit injuriâ, eumq; deteſtandum in modum blaſphemat, Melchior Nicolai, cum omnibus ijs Proteſtantibus qui dicunt infideles, ante Lutherum, ſi voluiſſent ſalui fieri, ad tam impium, & exſecrandum Diaboli cætum, per aliquot ſæcula, ſe ſe ex diuino præcepto debuiſſe adjungere, & ab illo fidei doctrinam capeſſere: ex quo non modò non ſaluati, ſed in imum Inferni Barathrum certiſſimò præcipitati fuiſſent; & quidem non tantum *per accidens*, ſed *per ſe*, & ex vi doctrinæ, quam tradit, ſecundùm aſſertionem Proteſtantium. An non enim Blaſphemum, Deoque injurioſiſſimum & Chriſtianis auribus eſt indignum, dicere Deum, (*qui vult omnes homines ſaluos fieri & ad agnitionem veritatis venire* 1. Timoth 2. v. 4. *qui ſic dilexit mundum vt filium ſuum vnigenitum daret*, ad plantandam ſuo ſanguine & morte Eccleſiam, omnium hominum ſaluti ſeruituram) per tot annorum centurias aliâ ratione ſaluti hominum non prouidiſſe, aut conſuluiſſe, quàm, vt illos ad *Scholam Antichriſti*, ad *Synagogam Satanæ*, ad *Magiſtros mendaces*, ad *lupos rapaces*, ad *animarum latrones*, & *ſpirituales fures* (nam his omnibus titulis nos ornant) miſerit erudiendos. Vt illos juſſerit ad eam Eccleſiam

Argumentum ex verbis Proteſtantium per Dilemma.

cleſiam ſe recipere, quæ judicio Proteſtantium, *omnes animas diabolo tradit?* quæ eſt *omnigenæ Idololatriæ officina?* quæ eſt *tota vitiorum & gangrena religionis ſynceræ?* in qua *æternas pœnas ſibi attrahere* COGITUR, *quiſquis illã ſequitur?* in qua NIHIL *niſi mendacia, blaſphemiæ, idololatria docentur, & Verbum Dei perditur & extirpatur? in qua nec vnica petitio Orationis Dominicæ, nec vnicus articulus Symboli, nec vnicum præceptum Decalogi intelligitur; neſcitur, quis ſit Sacramentorum vſus & finis?* ad talem inquam Eccleſiam à Deo miſſi fuerint inſtruendi, docendi, erudiendi æternæ ſalutis ſitientes infideles populi? Quis hæc ſine ſcelere, ſine horrore mentis poſſit cogitare?

Si autem vera non ſunt, quæ iſti Proteſtantium Coryphæi de Eccleſiæ Catholicæ Doctoribus ſcripſerunt, & per Orbis theatrum cum tam crudeli dilaceratione famæ noſtræ, & inexplicabili animarum damno tot euulgatis voluminibus ſparſerunt, & in hodiernum diem ſpargere nunquam ceſſant, quis mihi jure ſuccenſeat, ſi per *retorſionem* omni jure conceſſam, dixero, Proteſtantium Doctores eſſe tales, quales ipſi deſcribunt Catholicos, nempe *Magiſtros mendaces, lupos rapaces, fures, & animarum latrones, ſycophantas & nebulones*, & quidquid elegantiarum Lutherus ex marſupio ſuæ maledicentiæ in Pontifices, Cardinales, Epiſcopos & Doctores,

ctores Catholicos effundere pleno modo solitus fuit?

III. Inepta est exceptio, quâ dicit Melchior, *Infideles in Pontificia Ecclesia reperisse Verbum Dei ibi depositum & conseruatum.* Nam I. Vnde de hoc certus est, nisi id ipsi dicat Ecclesia Pontificia? Ab hac enim Lutherus & Caluinus acceperunt scriptum Verbum Dei. Huic autem Ecclesiæ Protestantes nullam in alijs fidem habent. Sed cum Luthero dicunt, *NIHIL in ea, nisi mendacia, idololatrias & blasphemias tradi.* Ergo nec in hoc possunt illi infallibiliter credere. Sic argumentor. Vel credis, Melchior, fide diuinâ Verbum Dei in Papatu esse conseruatum, vel non. Si non: Ergo adhuc in hoc falli potes; quia tantùm fide humanâ credis. Si ita: Ergo aliquid credendum est fide diuinâ, quod non est scriptum. Ostende enim vbi Scriptura habeat, Verbum Dei apud Protestantes esse incorruptum, aut in Papatu vsque ad Lutherum sine deprauatione esse conseruatum, nisi Ecclesiæ Catholicæ concedas infallibilitatem? *Inepta exceptio Melchioris.*

2. Si dicas, *Verbum Domini manet in æternũ.* Resp. sit ita. An ideò necessariò in Papatu quo dicitis, *Verbum Dei perdi & extirpari?* Deinde vnde probas, hoc dici de Verbo Dei scripto & biblijs? sic enim loquitur Dauid, psal. 118. v. 89. *In æternum Domine Verbum tuum permanet in cælo*: Cujus sensus est, vt optimè

explicat Hugo Cardinalis. *Ordo cœleſtium ſtatutorum in æternum non mutatur.* Quæ enim Deus in ſuo interiore & ſupremo ſenatu ſtatuit & decreuit, certiſſimò euenient: *Cœlum & Terra tranſibunt, verba autem illius non præteribunt.* Præterea, an non ipſimet fatemini etiam aliquas partes de Verbo Dei ſcripto perijſſe? vbi enim nunc ſunt libri de geſtis Regum Iuda, & Iſrael, quorum toties meminit Scriptura? Igitur non eſt certum, Deum non permittere, vt quidquam de Scriptura ſacra pereat: præſertim cùm etiam veſtra ſententia Eccleſia V. T. habuerit promiſſiones, fore, vt duret *in æternum*, & nihilominus dicitis illam interijſſe. Ergo licet etiam ſcriptum Verbum Domini, diceretur manere in æternum, nihilominus in veſtra Logica perire poſſet. Denique eſto, repererint Infideles Verbum Dei depoſitum in Papatu & conſeruatum: Quid tum? Nihilominus adhuc illis ordinariè opus erat Magiſtro & Doctore, juxta illud Apoſtoli, *Fides ex auditu.* Magiſter autem tunc alius non erat, quàm Pontificius. Neceſſariò igitur (juxta hypotheſes veſtras, ſupra recitatas) ejuſmodi infideles ſtatim pro primo fidei lacte, venena peſtilentiſſimorum, damnabilium errorum haurire debuerunt. Quomodo enim non errores hauriant ij, quorum Doctores neſciunt, quid ſit Sacramentum? qui nec vnum præceptum

ceptum Decalogi, nec vnum articulum Symboli, &c. intelligunt nec aliud, nisi mendacia docent, animasque omnes diabolo tradunt?

IV. Exemplum Zachariæ & Nicodemi, quod obijcit Melchior, Protestantibus aduersatur. Nam si non consenserunt erroribus Pharisæorum: Ergo Ecclesia V. T. tempore Christi non vniuersa errauit, quod tamen illi identidem obganniunt. Deinde ipsi Pharisæi, licet inanibus & superstitiosis quibusdam traditionibus addicti, eas tamen non promulgabant tanquam fidei dogmata necessariò omnibus recipienda, neque populum ad illas sequendas velut ad dogmata obligabant, sed veluti priuatas reuelationes seu doctrinas suorum Magistrorum, hominibus proponebant. Cæterùm quæ tanquam à Moyse & Prophetis tradita communiter docebant, ea nec fabulosa, nec superstitiosa erant.

Quantum valeat exemplum Zachariæ & Nicodemi.

Ad hæc præter illos etiam alij plures Legis Doctores aderant, Pharisaico fermento non corrupti; qui non solùm fidem integrè poterant docere Iudæos & gentiles sed etiam eandem ab omni scoria falsarum opinionum inuiolatam conseruare, vt Zachariam & Nicodemumfeciſſe legimus.

Cùm ergo Protestantes dicant, in Pontificia Ecclesia per aliquot sæcula prorsùs nullos

extitisse publicos veros Doctores (aut nominent illos) à quibus potuisset quisquam sanam doctrinam accipere, sed tales duntaxat, qui *nullum Symboli articulum intelligerent, &c.* nihil prorsùs ad rem faciunt exempla allata de Zacharia & Nicodemo.

Melchior se suo hztmo capit.

V. Quæ Melchior de inuisibili Ecclesia dicit, quòd nempe infideles potuerint illi se toto corde adjungere ; meræ sunt Antilogiæ. Vel enim illi infideles sciebant & agnoscebant, præter visibilem Ecclesiam illam, esse adhuc etiam inuisibilem : & visibilem errare, inuisibilem verò non errare : vel non sciebant, & non agnoscebant. Si sciebant, fieri non potuit, quin visibilem detestati essent, & ab ea longissimè aufugissent, nec doceri se passi essent à talibus Pastoribus, quos sciebant turpiter errare, *nihil nisi mendacia tradere, animas perdere, Euangelium peruertere, &c.* Si verò non sciebant, nec agnoscebant, aliquam esse inuisibilem Ecclesiam, ab errore immunem, quomodo potuerunt *se adjungere inuisibili Ecclesiæ toto corde,* cujus nullam notitiam habuerunt? vnde enim illum inuisibilem cætum nouissent ? ex relatione & doctrina visibilis Ecclesiæ? at visibilem Ecclesiam pro *Schola Satanæ,* pro *Synagoga Antichristi,* pro *officina omnigenæ idololatriæ. &c.* vt vos asseritis, habueruut : Non ergo illius disciplinæ in vlla re se committere, aut illi fidere potue-

potuerunt. Ex S. Scriptura, & Verbo Dei? at vnde cognoscere S. Scripturam potuerunt, & veram à falsa discernere? Certè, non nisi docti ab eadem visibili Ecclesia? Si ergo illa in cæteris nullâ fide digna fuit, cur in solo hoc? Igitur & de Scriptura ipsa, & multò magis de sensu illius fuissent infideles incerti. Consequenter nullum articulum fidei potuissent rectè credere. *Fides enim ex auditu auditus per Verbum Christi: quomodo verò audient sine prædicante?* Rom. 10. v. 14.17. Si ergo tota visibilis Ecclesia in externo ministerio eo modo, quo dicunt aduersarij, errauit, à nemine potuerunt ejusmodi infideles rectè de fundamentis fidei instrui: proinde fuit illis impossibile assumenta ab hominibus superaddita a Verbo Dei discernere, istudque amplecti, & illa repudiare.

VI. Si *nunquam desinit Ecclesia, quia nunquam desinit operator Spiritus ex tenebris faciens lucem*, vt ait Melchior, etiam nunquam desinit vera Ecclesia esse exteriùs visibilis, & agnoscibilis, alioqui quomodo lux Euangelij splendesceret, & non in tenebris delitesceret?

Ex his videt Lector, quot manifestis Antilogijs se se miser iste prædicans Melchior, implicauerit, & velut mus in pice inuoluerir? Deus illum ad meliora conuertat, vt tandem desinat VVirtenbergiam suis erroribus circumducere.

Effugium ſingulare Dorſcheidæ Præſcriptione.

ARgumentum ex *Præſcriptione*, quo vtuntur Catholici contra Proteſtantes, nullius roboris eſſe contendit Dorſchæus ob ſequentia argumenta, ſcrupulo 21. fol. 537. & ſeqq.

Alia eſt ratio (inquit) religionis, alia rerum temporalium quoad præſcriptionem; Ita clarè Jura de ijs, quæ non ſunt in commercio hominum, & quæ dominio noſtro ſubijci non poſſunt. §. Nullius. Inſt. de rerum diuiſ.

Atqui religio, confeſſio fidei, cultus diuinus non ſunt in commercio hominum, néq; poſſunt poteſtati hominum, ſubijci, vt propriè venire in poſſeſſionem queant. Inter quæ à Jure etiam numerantur illa, quæ ad ornatum Eccleſiarum & cultus diuini ſpectant, vt ſunt Caſulæ, calices, patenæ, cruces & ſimilia, de quibus infallibilis quóq; Juris eſt (apud Joan. Fab. Inſtit. de Vſucap. &c. §. ſed aliquando) quòd talia non ſint ſub Eccleſiæ poteſtate. Si ergo iſta terrena ad cultum diuinum pertinentia tali gaudent priuilegio, vt illis nulla præſcriptio aut prorogatio temporis nocere poſſit, quanto magis æterna cœlitùs reuelata ſapientia contra omnem temporis etiam immemorialis, & quantumuis longi decurſum, gaudet tali priuilegio. Quare etiam Doct. Marta de Juriſd. p. 2. c. 43. n. 66. p. 271. ait, præſcriptionem non procedere contra id, quod

quod ſpecialiter ab Eccleſia tota ſuper ſpiritualibus fuit ſtatutum atq; decretum, quia eſſet cum peccato maximo, & credere, poſſe præſcribere contra præceptum Eccleſiæ, ſaperet hæreſin; Ergo. Quare ſi præcepta Eccleſiæ ſunt tam priuilegiata, quanto magis præcepta diuina, & Verbum Altiſſimi? Vnde ſi manifeſtum, quòd Papatus & propria doctrina illius, Vetuſtiſſimo, ac nulla præſcriptione refutabili Verbo Dei contradicat, vt Heilbrunnerus & Zeæmannus in Papatu Acatholico contra Kellerum ſatis deduxerunt, impoſibile eſt, vllam præſcriptionem, Papatum contra Verbum Dei poſſe defendere.

RESPONDEO.

Dorſchæus ludit manifeſtâ fallaciâ Æquiuocationis; quia ſumit vocabulum *Præſcriptionis* in alio ſenſu, quàm accipiant Catholici cum SS. Patribus, contra Proteſtantes Nos enim *Præſcriptionem* non accipimus ſtrictè pro *Vſucapione*, vel *Exceptione vſucapionem* ſupponente, & orta ex tempore Legibus determinato, quo rem poſſedimus, vt accipit Dorſchæus; ſed pro generalibus Eccleſiæ Defenſionibus & exceptionibus, quibus illa ad fruſtrandos hæreticorum impetus, eorumq; injuſtiſſimas actiones contra Domum Dei repellendas, etiam *ſine retractatu doctrinarum*, id eſt, ſine ſpeciali ſingularum quæſtionum diſcuſſione, (vt loquitur Tertullianus lib. 1. aduerſ. Mariconem c. 3.) vtitur. Etſi enim

Dorſchæus fallit æquiuocatione.

enim omnis *Vsucapio* sit *Exceptio*, non tamen omnis *Exceptio* est *Vsucapio*.

Et talem *Exceptionem*, quæ *Præscriptio* vocetur, non tamen sit *Vsucapio*, etiam à lureconsultis agnosci, constat ex l. 2. §. 1. ff. ad l. Juliam de adulter. l. 11. ff. de Except. Præscript. & Præiud. l. 3. ff. de Præuar, l. fin. Cod. de Except. seu Præscript. Quod obseruauerit Bachouius in 2. Vol. Treutleri, Disp. 22. Thesi 1. Litt. H. vbi ait, *in Iure nostro (Præscriptionis nomen) vsurpari solet pro defensione & exceptione, eogʒ sensu jungitur Datiuo; idgʒ fortè tractum est à Græcis, quibus Exceptio est παραγραφὴ, eógʒ non tantùm exceptionẽ temporalem, sed quamcungʒ exceptionem denotat L L. supra citt.* Et Disp. 26. Thesi 1. littera A. *Constat planè* (inquit Bachouius) *quòd Exceptiones in Iure nostro Præscriptiones dicantur, de quo aliquid dictum supra Disp. 22. Thesi 1. litt. H. Sed vnde hæc appellatio nata sit, non æquè constat. Et Græcis Exceptio dicitur παραγραφὴ, quo verbo Theophilus perpetuò vtitur Titulo de Exceptione, vnde fortassè hoc vocabulum in Latinum translatum pro Defensione; quo sensu, verbo isto vsus est Tertullianº in libro suo de Præscriptionibº aduersùs hæreticos.* Hæc Bachouius. Cuj adstipulatur Ludou. de La Cerda in Notis ad Cap. 1. de Præscript. Tertulliani, & Iustus Caluinus Veteræ Castrensis in præfatione ad Lectorem annotationibus in eundem præfixa.

Non omnis Exceptio est Vsucapio.

Sed & alij celebriores luriſtæ, licet hodie communiter *præſcriptionem* pro *Vſucapione* accipiant, fatentur tamen olim, maximè Iure *Digeſtorum* ſignificâſſe Exceptionem ; & conſentiunt VVeſenbec. Schneidenvvein, Harpprecht Treütlerus.

Atque ſic Tertullianum (lib. de Præſcriptionibus, & lib. 1. contra Marcionem) accepiſſe *Præſcriptionem*, vel ex eo euidens eſt, quòd prorſùs nullam de legali temporis decurſu, qui authoritate Legum jus quoddam conferat, faciat mentionem ; ſed *Præſcriptionum*, ſeu *Exceptionum* Catholicarum aduerſùs Nouatores longè alia ponat fundamenta.

Ex quibus fundamentis Tertullianus præſcriptiones doceat.

Nam cap 15. de Præſcript. pro prima Præſcriptione hanc aſſignat ; Hæreticos non eſſe admittendos ad vllam de Scripturis diſputationem, nec permittendam illis eſſe Scripturarum vſurpationem, quòd ipſis non competat poſſeſſio Scripturarum.

Alteram præſcriptionem cap. 20. ait eſſe, quòd per Chriſtum Apoſtolis, & per Apoſtolos Eccleſijs Apoſtolicis fides ſit tradita, à quibus traducem fidei, & ſemina doctrinæ, cæteræ exinde Eccleſiæ mutuatæ ſint, & quotidie mutuentur, vt Eccleſiæ fiant.

Tertiam præſcriptionem exprimit c. 28. ab vnanimi diuerſarum Eccleſiarum conſenſu.

Quartam, cap. 29. vſque ad 32. à Doctrinæ

posteritate exemplo Marcionis, Valentini, Apellis, &c. quos omnes Catholicâ doctrinâ *posteriores* demonstrat: id quod cap. 31. vehementer vrget: postquam enim dixisset, priorem fidei doctrinam esse veram, & posteriorem esse fallam, id probat ex cap. 13. Matthæi, ex parabola de illo, qui *exijt seminare semen bonum*; & postea venit inimicus homo, & *superseminauit Zizania*. *Ea sententia* (inquit) *manebit aduersùs posteriores quasq; hæreses*. Neq; etiam vllum certum tempus, quod medium intercedat inter prius & posterius requirit, vt colligitur ex cap. 33. vbi asserit illud suum principium *exceptionis* de posterioritate, locum habere etiam in falsis doctrinis, quæ *sub ipsis Apostolis, fuerunt ab ijsdem Apostolis & demonstratæ, & eieratæ*, absque interstitio temporis legibus præfiniti.

Quintam & sextam præscriptionem desumit à Successione Episcoporum & consanguinitate doctrinæ Apostolicæ. c, 32.

Septimam ab hæresum jam damnatarum cum ista Nouitate Conuenientia. c. 34.

Octauam assignat ab authoritate Ecclesiarum Cathedralium Apostolicarum, inprimis Romanæ. c. 36.

Nonam, ab adulteratione Scripturarum hæreticis vsitata, quorum *alius manu illas, alius sensu expositiones interuertat*. c. 38.

Vbi hîc vel verbulum de certo tempore vi legum

legum conſtituto, quod jus aliquod conferat? vbi minimus apex de quinquaginta aut centum annorum tractu, qui liberet ab onere probandi? vbi veſtigium Exemptionis peremptoriæ manantis ex eo, quod diu in poſſeſſione rei fuerimus? Nihil tale Tertullianus, ſed ex alijs fontibus ſuarum Exceptionum ac Præſcriptionum cauſas deriuat, vt jam ex ipſomet commemorauimus. Quare plumbeo telo nos petit Dorſchæus, & fruſtra Iura ac Leges de *Vſucapione* contra nos congerit & conglomerat cum negemus noſtras Præſcriptiones, *Vſucapionem* eſſe.

Dorſchæi plumbeum telum, & inepta argumentatio.

Quando ergo ſic concludit: Pontificij Proteſtantibus opponunt Præſcriptiones quaſdam; ergo *Vſucapionem*; Non ſecus argumentatur, quàm ſi quis diceret; Dorſchæus eſt animal: ergo eſt equus. Quod ſi pergat probare conſequentiam hoc modo: omnis Præſcriptio Pontificiorum eſt *Exceptio*. Omnis *Vſucapio* eſt *Exceptio*: Ergo omnis Vſucapio eſt præſcriptio Pontificiorum: Reſpondeo eſt argumentum ſimile huic, omnis equus eſt animal: Dorſchæus eſt animal: Ergo Dorſchæus eſt equus. Item, omnis Aqua eſt liquida: Omne Vinum eſt liquidum: Ergo omnis aqua eſt vinum. Vel decennes pueri negabunt conſequentiam; Scientes, quia ex duabus affirmatiuis in ſecunda figura nihil vi formæ concluditur.

Ex

Ex his judicet Lector, an non ſit futilis & imperita tota objectio Dorſchæi? Quis enim vnquam Catholicorum dixit, contra præcepta diuina, contra Verbum Altiſſimi valere, & vim habere, per ſolam prorogationem temporis, Statuta & Decreta Eccleſiæ? quis vnquam ſomniauit falſitatem eâ ratione poſſe præſcribere veritati? Nemo noſtrum vnquam hoc hixit; proinde inaniter aërem verberat Dorſchæus, & à ſcopo longiſſimè aberrat, falſóque nobis affingit, quod minimè docemus.

Taceo, falſiſſimum eſſe, quòd Catholici, quando ex *præſcriptionibus* contra Proteſtantes argumentantur, contra Præcepta diuina, contra Verbum Altiſſimi, contra æternam, & cælitùs reuelatam Dei ſapientiam argumententur. Abſit vt hoc faciant Catholici: ſed argumentantur contra errores Verbo Dei reuelato inimicos & pugnantes; contra falſas Verbi ejuſdem interpretationes: contra intolerabilem faſtum, & totius Orthodoxæ Antiquitatis contemptum, quo turgidi Prædicantes Eccleſiam Catholicam infeſtant.

Nec nihilo plus proficit in ſequentibus, quæ ſic habent.

Alia obiectiones Dorſchai, nullius valoris.

DORSCÆVS ſcrupulo 21. fol. 524. *Procedere per Præſcriptionem, in cauſa Religionis, eſt I. contra ſtatuta Imperatorum & Regum. Conſtantinus enim M. in Concilio Niceno voluit litterarum*

rarum diuinitus inſpiratarum teſtimonijs res in quæſtionem deductas eſſe diſſoluendas, teſte Theodoreto lib. 1. Hiſt. Eccl. cap. 7. Sic etiam contra Neſtorij & Eutychis hæreſes cenſuerunt, Iouinian', Theodoſius. Valentinia. & Marcianus; qui ad Epheſini & Chalcedonenſis Concilij Patres benè in Scriptura peritos prouocârunt. Gratianus Rom. Imp. ad Concilium Aquilegienſe ſcribit, vt adortas controuerſias contra Arianos componendas viros in Scriptura doctos conuocent, &c. cùm tamen facillimè dicere potuiſſet, rem in Niceno Concilio jam eſſe judicatam, nec ampliùs diſcutiendam. Gothorum Reges Reccaredus, Recinſvvinthus, Eindaſvvinthus & alij ſæpius Concilijs in Hiſpania mandâunt, vt juxta S. Scripturam ferrent ſententiam.

RESPONDEO I. Sicut Conſtantinus M. in Concilio Niceno voluit vt SS. Patres ex S. Scriptura controuerſias religionis diſſoluerent, ita in hodiernum diem Eccleſia Catholica Romana id non modó Vult, ſed etiam re ipſa præſtat, quæ fatetur S. Scripturam eſſe ſaltem inadæquatam & partialem normam & regulam, ſecundùm quam quæſtiones fidei ſint definiendæ; accipiendo S. Scripturam non ſecundum nudam litteram, ſed intellectam in eo ſenſu, quem antehac Eccleſia Catholica ſemper tenuit & approbauit: quo modo etiam Conſtantinus M. & ipſum Concilium Nicenum S. Scripturam Ario oppoſuit,

ſuit,& ex illa ipſum condemnauit,ſcripturaſque quas Arius cum aſſeclis pro ſe adduxit, non aliter admiſit, quàm quemadmodum illas Anterior Eccleſia Catholica vſq; ad Apoſtolos perpetuato conſenſu interpretata fuit.

Dorſchæus contra ſe ipſum.

Id quod ipſe Dorſchæus veritate conuictus inſinuat, cum ait, Imperatores Iouinianum, Theodoſium, &c. ad Epheſini & Calcedonenſis Concilij Patres in ſcriptura peritos prouocaſſe. Non ergo prouocarunt ad nudam ſcripturam, ſed etiam ad eos, qui legitimum Scripturæ ſenſum quam optimè ex continua traditione ab Apoſtolicis temporibus callerent, & ſic ex illa definitiuam ſententiam pronunciarunt. Suo ergo ſe gladio ferit Dorſchæus.

Falſum imponit Catholicis Dorſchæus.

RESPONDEO II. Imponit nobis falſò aduerſarius, quaſi negemus hæreticos vllo modo ex Scripturis confutandos, quæ haud quaquam eſt noſtra opinio; cum hodiéque aliud agamus, de quo & monui in Caſtigatione Apologiæ Thummianæ fol. 160. & aduertit Tannerus Tomo 3. Theolog. Schol. diſp. 1. q. 9. dub. 5. à n. 151. Tantummodo enim dicimus, Scripturas non ſolum & vnicum telum eſſe, quo etiam validè hæretici contundantur; breuiorem namq; & compendioſiorem viam eſſe, per *Præſcriptiones*, ad exemplum Antiquorum Patrum. Proinde

non

non est diffidentiæ, quasi Scripturæ minùs nobis faueant, si ex *Præscriptionibus* argumentemur, sed compendij & breuitatis. Si enim mihi plura armorum genera suppetant, ad cædendum hostem, quis me cogct, vt tantum vnico vtar? mutantur tempora, variantur occasiones; insurgunt alij & alij Aduersarij: ea igitur aduersus vnumquemq; arripienda sunt tela, quæ accommodatiora videntur ad illum feriendum. Sic ipsemet Tertullianus lib. 1. contra Mariconem, subinde aliam viam ingressus ex scripturis disputauit, *ne* (vt ipse ait) *compendium Præscriptionis vbiq; aduocatum diffidentiæ deputaretur.* Ratio autem in promptu est, cur nonnunquam à Scripturis contra hæreticos sit abstinendum, aut Scripturæ non sint aliter vsurpandæ, nisi juxta communem sensum Ecclesiæ Antiquæ & orthodoxorum Patrum. Scimus enim (vt recte Tertullianus etiam monet c. 15. de præscript.) per Scripturas hæreticos (ad quas solas illi tantopere prouocant) tam *fatigare firmos, capere infirmos, & medios cum scrupulo dimittere,* quàm nihil aliud, nisi prorogationem litium quærere, quas vident ex *Scripturis solis* terminari non posse; nisi Iudicis alicujus viui sententia clara & aperta accedat; vt factum in eo ipso Concilio Niceno, cui Constantinus M. interfuit, qui hanc rationem agendi per Patrum Decisiones Canones & Decreta ita probauit.

Cur Catholici subinde à Scripturis contra aduersarios abstineant.

bauit, vt per proprias Epiſtolas *Decreta* illa omnibus maximopere commendarit, vt videre eſt apud Theodoretum lib. 1. Hiſt. Eccleſ. c. 7. & ſeqq. Ipſe deníq; Lutherus Tom. 3. lat. VVitteb. Enarrat. in Pſal. 82. fol. 488. b. ait, *Non diu diſputandum, ſed indicta cauſa, & inauditos damnandos eſſe, ſicut palam blaſphemos, qui contra generales Eccleſiæ articulos aliquid nouare ſatagunt. Nam tales (inquit) generales articuli recepti in tota Eccleſia ſatis auditi ſunt, ſatis excuſſi, approbati, ſatis firmati per Scripturam, per virtutes & miracula, per ſanguinem Martyrum, per ſcripta & confeſſionem totius Eccleſiæ, nec vllo modo ferendus eſt vllus ſapientulus, qui illos renocare velit in dubium.*

Ex hoc corruit tota ſtrues reliquorum argumentorum Dorſchæi, num. 2. 3. & 4. de conſuetudine Rom. Pontificum, Conciliorum & SS. Patrum per Scripturas hæreticos confutantium; Concilia enim hæreticos ex Scriptura aliter non confutârunt, quàm Scripturam accipientes juxta SS. Patrum interpretationem. Hinc legimus in Concilio Niceno: *SS. Patrum doctrinæ inſiſtentes definimus.* In Chalcedonenſi, *ſequentes SS. Patres definimus*; in VI. Synodo, *ſi ad Scripturas pertinens aliqua controuerſia excitata fuerit, non eam aliter interpretentur Epiſcopi, quàm quomodo Eccleſiæ luminaria & Doctores ſuis ſcriptis expoſuerunt.* Hinc etiam S. Auguſtinus lib. 2. cont. Iulian. c. 2.

S. Auguſtinus Dorſchæo opponitur.

Iulian. c 2. *Quod credunt*, inquit, *Patres, credo, quod tenent, teneo, quod docent, doceo, quod prædicant, prædico.*

SED INSTAT Dorschæus f. 546. & sequentibus. I. *Tertullianum lib. de Præscriptione longè aliud egisse, quàm nos. Illum ex præscriptione, seu tractu temporis in doctrina, non fecisse regulam fidei, sed hanc à præscriptione distinxisse. Nos secus facere.* II. *Illum vsum esse hoc medio contra hæreticos illos, qui prouocabant ad reuelationes scriptis Apostolicis, tunc adhuc in originali conspiciendis, contrarias, quales erant Valentiniani, Gnostici, Manichæi, &c. Nos præscriptionem ad omnes ætates & controuersias extendere.* III. *Illum credidisse, quod quælibet particularis Ecclesia possit hæreticos præscriptione retundere; nos sentire, quòd quælibet particularis Ecclesia errare possit.* IV. *à Vincentio Lirinensi Præscriptionem quidem etiam obtendi hæreticis, velle tamen illum præscriptionem non fundari in solo præsenti statu Ecclesiæ, sed etiam in vnanimi consensu SS. Patrum: quòd non in omnibus admittant Pontificij.* V. fol. 549. *Etiam recentioribus Pontificibus hunc ex præscriptione argumentandi modum aduersari, vt Iulio III. in saluo conductu pro Concil. Trident. Sess. 13. & Paulo 4.* VI. *Eundem esse quoque contra Recessus Imperij, & contra instituta Colloquia, Augusta, Hagenoa, VVormatia, Ratisbona, &c. vbi singulis facta dicendi, disputandi & demonstrandi Veritatem libera & publica potestas. &c.*

Instantia Dorschæi.

VII. Etiam antiquiores scriptores Pontificios communiter censuisse hæreticis in omnibus ex Scriptura occurrendum. quamuis cum quibusdam alijs adminiculis. Ideo liberè illos ex Scriptura & SS. Patribus suos Aduersarios oppugnâsse. VIII. Istum processum de præscriptionibus etiam pugnare cum Pace Religionis in Imperio sub grauissimis pœnis sancita, &c. IX. Tertullianum lib. de veland. Virg. dicere, Veritati némo præscribere potest: non spacium temporum, non patrocinia personarum; non priuilegium Regionum, &c. Item, *Hæreses non tam nouitas,, quàm veritas reuincit, &c.*

RESPONDEO: Negamus Tertullianum aliud egisse, quàm nos. Nam I. Falsum est, nos ex præscriptione facere Regulam fidei; *Hanc* enim Tertullianus cap. 13. *pro Symbolo fidei* accipit. Nemo autem vnquam nostrum, dixit, Præscriptionem esse *Symbolum fidei*; sed adminiculũ esse ad cognoscendam regulam illam, & ad repellendos hæreticos. Itaque & nos distinguimus à præscriptione *Regulam fidei.*

II. Tertullianum vsum esse medio *præscriptionis* Tantùm aduersus certos hæreticos, & non aduersus omnes, itidem est falsum. An non apertissimè, cap. 13. de præscript. dixit; *Ea sententia* MANEBIT ADVERSVS POSTERIORES QVASQVE HÆRESES? Et cap. 21. postquam dixisset, *omnem illam doctrinam, quæ cum Ecclesijs Apostolicis matricibus & origi-*

& originalibus fidei conſpirat, veritati deputandam ; addit, *Reliquam verò omnem doctrinam de mendacio præjudicandam?* Extendit itaque & ipſe ſuas *Præſcriptiones* ad omnes ætates & controuerſias.

III. Etiam nos contendimus, quòd quælibet particularis Eccleſia Catholica, cum Romana communicans, quamdiu eſt talis, poſſit contra Hæreticos *Excipere* & præſcriptione ſe tueri. Nihil igitur Tertulliano aduerſamur. Quando verò Dorſchæus ait, Tertullianum egiſſe contra Valentinianos, &c. *priuatis reuelationibus gloriantes, &c.* ſit ita. Eo igitur rectius & nos præſcriptionibus contra Proteſtantes vtimur : cùm & ipſi jactent priuatum Spiritum, & inſtinctum tum in cognoſcendis authenticis libris Canonicis, tum in vero ſenſu Scripturæ aſſequendo & intelligendo; qui Spiritus fictitius eſt, & ſcriptis Apoſtolicis inimicus ac contrarius.

IV. Falſum quoque eſt Pontificios à Vincentio Lyrinenſi diſſentire, & quod ipſe aſſeruit, non admittere. Obſecro Proteſtantes, vt legere dignentur iſtud *Commonitorium* Vincentij pro Catholicæ fidei Antiquitate & Vniuerſitate, aduerſùs prophanas omnium hæreſeon Nouationes ; præſertim cap. 25. 26. 27. & palàm fatebuntur à Dorſchæo fucum Lectori factum.

V. Argumentatio ex Præſcriptionibus, & argumentatio ex Scriptura, *diſparata* ſunt, non *contraria*. Quamuis igitur Iulius 3. & Paulus 4. in ſuis Bullis fecerint Proteſtantibus liberam poteſtatem in Concilio comparendi, & ex Scripturis ſua Dogmata probandi; non idcirco *Præſcriptiones* Catholicorum, tanquam inutiles, infirmas aut illicitas improbârunt.

VI. & VII. Idem dico de *Receſſibus* Imperij, per quos diſputationes publicæ Hagenoæ, VVormatiæ, Ratisbonæ ita ſunt decretæ, vt vtrique parti relictum liberum ſit, ex Scripturis diſputare. nec alia eſt ratio antiquiorum ſcriptorum Catholicorum.

VIII. Pax Religionis neminem ligat extra Imperium Romanum. Nihil igitur illam morantur aliarum Nationum Catholici, nec illa poteſt fidei Catholicæ apud Deum præjudicare. Deinde nuſquam prohibet pax Religionis (aut oſtendat Dorſchæus paragraphum) ne Proteſtantibus *præſcriptiones* iſtas obijciant Catholici: quæ ſunt argumenta Theologica, non Iuridica, nec in Legibus ciuilibus fundata. Quid igitur illis negotij cum Pace Religionis, quæ Proteſtantibus immunitatem conceſſit à Legibus Imperatorum; à Legibus autem Dei concedere non potuit?

IX. Omnes Catholici concedunt cum

Tertul-

Tertulliano, *Veritati neminem præscribere posse; non spacium temporum, non patrocinia personarum, &c.* non igitur nobiscum, sed cum laruis pugnat Dorschæus. Quia falsitas nullo tractu temporis potest fieri Veritas, nec veritas potest fieri falsitas. *Si semper Christus, & prior omnibus; æquè Veritas sempiterna & antiquissima res,* inquit ibid. Tertullianus. Quia Christus est veritas. Quæ neutiquam euertunt præscriptionem nostram, sed magis corroborant; præsertim illam, quam ipse Tertullianus in PRIORITATE constituit, dilertissimè dicens: *Veritatem priorem esse falsitate;* & ex hoc ipso falsitatem cognosci, *si posterior sit,* c. 29. 30. 31. de præscript. vbi, *Ex ipso* (inquit) *ordine manifestatur id esse Domicum & Verum, quod sit prius traditum; id autem extraneum & falsum, quod sit posteriuss immissum;* sicut Zizania in agro Dominico posteriora sunt bono semine: Matth. 13. quâ præscriptione etiam vsus est S. Hieronymus epist. ad Pamachium & Ocean. *Quisquis es assertor nouorum dogmatum, quæso te, vt parcas Romanis auribus, parcas fidei, quæ Apostolico ore laudata est. Cur post quadringentos* (imò nunc post mille lexcentos) *annos docere nos niteris, quod ante nesciuimus? Vsq; in hanc diem sine vestra ista doctrina Christianus mundus fuit.* Et lib. contra Luciferianos in fine. *Ex hoc ipso, quod posterius instituti sunt, eos se esse indicant, quos futuros Apostolus prænunciauit.*

Alia obiectio Dorschæi.

AT PERGIT DORSCHÆVS, & ait f. 554. Tertullianum dicere, Die Jrthumb werden durch die Warheit geschlagen / nicht aber durch den Einwurff / daß sie new seyen. *Errores per veritatem cædi, non autem per objectionem, quòd sint NOVI.*

RESP. Dorschæus injuriam facit Tertulliano, & fallit malè fidâ translatione Lectorem Latinæ linguæ imperitum. Sic enim habent verba Tertulliani. *Hæreses non tam Novitas, quàm Veritas revincit*; quod longè aliud sonat, quàm verba Germanica Dorschæi. Si enim dicerem, Hostis non tam cæditur, & vincitur ab Exercitu, quàm à prudenti consilio & directione fortis alicujus Ducis exercitus; an non benè dicerem? Quis autem dicat, à solo Duce, & non etiam ab exercitu profligatam esse hostilem aciem, licet bono Duci magis adscribenda sit Victoria, quàm exercitui? Quis dicat exercitum nihil omninò contulisse ad victoriam? Ita Tertullianus, cum ait, *hæreses non tam revinci Novitate, quàm veritate.* Non negat, eas etiam à *Novitate* revinci, sed non eo modo, quo à Veritate. ab hac enim revincuntur directè & formaliter; quia veritas directè est falsitati ac hæresi oppositа: ab illa verò tantùm consecutivè & indirectè; quia directè non est oppositа veritati, sed antiquitati: ostensa autem novitate, ostenditur etiam falsitas

NB. Fraus Dorschæi.

in

in doctrina Christiana, in qua prior & antiquior est veritas, vt validè demonstrat Tertullianus. Fraudulenter igitur & non, vt Theologum decet, Dorschæus Tertullianum est interpretatus.

Quantorum causa malorum sit NOVITAS, quantóque studio inhærendum sit antiquitati, Vincentius Lyrinensis aduersus hæreses à cap. 4. vsque ad cap. 35. optimè explicat; maximè, cap. 33. super illa verba Apostoli, deuitans profanas vocum nouitates; *Quid est* inquit, *deuita? Si quis* inquit, *venit ad vos, & hanc doctrinam non affert. Quam doctrinam nisi Catholicam, & Vniuersalem, & vnam eandémq; per singulas ætatum successiones, incorrupta veritatis traditione manentem, & vsq; in sæcula sine fine mansuram?* Et cap. 26. *Deuita inquit Apostolus, profanas vocum nouitates: non dixit antiquitates, non dixit vetustates, imò planè quid è contrario sequeretur, ostendit. Si vitanda est Nouitas, tenenda est antiquitas, & si profana est nouitas, sacrata est Vetustas.* *Vincentius Lyrinensis.*

Ex hoc fundamento Veteres ad cognoscendam veram Ecclesiam Christi semper maximi fecerunt hanc Notam, *Non exisse è cætu aliquo Christianorum visibili antiquiore, qui præcessisse noscatur;* Quæ Nota sumitur ex 1. Joan. 2. 19. *Ex nobis exierunt.* Actor. 20. 30. *Et ex vobis ipsis exsurgent viri loquentes peruersa, vt abducant discipulos post se.* Ex Judæ 4. v. 4. *Sub. li, &c.* *Nota certa Ecclesiæ veræ non exisse è cætu aliquo Christianorũ antiquiore visibili*

introierunt quidam homines. &c. & v. 19. *Hi sunt, qui segregant semetipsos. &c.* Hebr. 10. v. 25. *non deserentes collectionem nostram, &c.* Matth. 24. v. 26. *si ergo dixerint vobis, Ecce in deserto est,* (nempe latentis & inuisibilis alicujus fictæ Ecclesiæ) *nolite exire.* Hinc Osiander in Epit. Hist. Eccl. Cent. 1. lib. 3. c. 1. f. 78. ait, *NOTA: hæretici ex Ecclesia egrediuntur.*

Sed & ipsum nomen hæresis electionem & separationem significat. Cùm ergo Romana Ecclesia, ipsis aduersarijs testibus, olim verum & viuum fuerit Ecclesiæ Christi membrum; fidem quam semel tenuit, mutare non potuit, nisi exeundo ex vera Ecclesia. Si enim non exijt, adhuc in ea manet. Igitur meritò vrgemus, vt ostendant, quo tempore, loco, & anno à reliqua cæterarum gentium communione se segregârit. *Quis enim* (inquit Vincentius Lyrin. cap. 34.) *vnquam hæreses instituit, nisi qui se prius ab Ecclesiæ Catholicæ vniuersitatis & antiquitatis consensione discreuerit? Quod ita esse luce clarius exempla demonstrant. Quis enim vnquam ante prophanum illum Pelagium tantam virtutem liberi præsumpsit arbitrij, &c.? Quis ante prodigiosum discipulum ejus Cœlestium reatu prævaricationis Adæ omne genus humanum negauit astrictum? Quis ante sacrilegum Arium Trinitatis Vnitatem, &c.?* demonstrent igitur, quo anno, quo loco Romana

Vincentij Lyrinen. pulchra sententia.

delci-

deſciuerit ab Vniuerſali Catholica Eccleſia? Citiùs ignibus aquas compoſueris, quàm diſcordantes in hac re Proteſtantium ſententias; è contrario apud omnes in confeſſo eſt, Lutheri, Zvvinglij, Caluini, & ſequacium à Catholica Eccleſia diſceſſio, ſicut & Arianorum, Pelagianorum, Nouatianorũ & aliorum hæreticorum. Quis verò credat ſolam Romã velut Gygis annulo tectam, à reliquo Orbe Chriſtiano potuiſſe in dogmatis fidei tam latenter & occultè ſe ſejungere, vt nemo id aduerterit? Quare multi ex aduerſarijs videntes ſe in hac re probanda deficere, ſine medio à termino ad terminum tranſeunt, & vno ſaltu omnia tempora præterita tranſiliunt, dicentes, Romanam Eccleſiam receſſiſſe à doctrina in ſcriptis Apoſtolicis comprehenſa, quod eſt turpiter principium petere, & pro argumento probationis afferre id, quod in quæſtione eſt: quo ſcuto omnes hæreſiarchæ & hæretici ſe potuerunt tueri.

Ex his omnibus hocargumentum exſtruimus.

Si Romana Eccleſia, quæ ſemel veræ, viſibilis, Catholicæ & vniuerſalis Eccleſiæ membrum fuit, nunquam ab ea diſceſſit, aut diſceſſiſſe demonſtratur, ſequitur quòd adhuc in ea ſit, verumque ejuſdem membrum exiſtat. Cùm enim veritas ab Apoſtolis relicta, prior ſit & antiquior errore in doctrina Chriſtiana *Argumentum Catholicorum.*

ſtiana (qui eſt negatio veritatis Chriſtianæ) nunquam hæreticus eſſe poteſt, qui non ſe prius ſeparauerit à viſibilis, & veræ Eccleſiæ cætu exeundo. Sed verum eſt Antecedens: Ergo & conſequens.

Romana igitur Eccleſia, quæ nunquam ab alio viſibili cætu Chriſtiano antiquiore exijt, ſemper illam doctrinam retinuit, quæ prior, & antiquior, & per conſequens vera eſt; adeòque & ipſa eſt & manet vera Eccleſia, vt optimè aduertit Brerleius in Apologia Proteſtantium, f. 564.

Quæ aduerſarij opponunt, vt probent, Eccleſiam Romanam ab Eccleſia antiqua defeciſſe, ſolidiſſimè refutantur ex ipſorum Proteſtantium libris, in *Via Compendiaria* Philippi Eilbrachtij videlicet Eccleſiam Romanam hodiernam injurioſè à Proteſtantibus accuſari & traduci, cùm longè alia ſit doctrina illius, ab illa, quam aduerſarij illi tribuunt nominatim in articulo de idololatria f. 151. de obiecta Tyrannide papali f. 344. de Sacramentis. f. 366. de S. Euchariſtia. f. 388. de ceremonijs & ritibus f. 410. de modo gubernationis & diſciplinæ. 433.

Dorſchai ſcrupulus ex Ter. tulliano.

PORRO reſtat adhuc ſcrupulus quem mouet Dorſchæus ex Tertulliano, de conſuetudine, lib. de vel. Virg. vbi ait; *Ex his enim plerúmq; conſuetudo initium ab aliqua ignorantia ſortita in vſum per ſucceſſionem roboratur, & ita aduerſus*

aduersus veritatem vindicatur. Sed Dominus noster Christus veritatem se, non consuetudinem cognominauit. Et paulò post. Quodcunq; aduersus Veritatem cupit, hoc erit hæresis, etiam vetus consuetudo. Hunc locum putant aduersarij vehementer repugnare nostræ præscriptioni & Antiquitati: cuj addunt & illud Symmachi Romani, *Si longa ætas authoritatem religionibus facit, seruanda est tot sæculis fides, & sequendi sunt nobis parentes, qui feliciter secuti sunt suos.* loquitur autem de Ethnicismo, quem ait esse Christianismo antiquiorem, & proinde illi præferendum. & illud S. Cypriani in epist. ad Pompeium, *Consuetudo sine veritate vetustas erroris est.*

RESPONDEO.

Quomodo antiquitas sit nota Ecclesiæ.

Aduertendum I. *Antiquitatem* esse quidem notam veræ Ecclesiæ, sed in ijs, quæ fidei sunt & ad ejus essentiam, partèsque necessarias spectant, non autem in ijs, quæ ad exteriorem cultum & politiam Ecclesiasticam ejusque ornatum, hæc enim mutari possunt, non illa, vt obseruat Tertullianus eodem loco citato dicens, *Regula fidei vna omnino est, sola, immobilis & irreformabilis.* Et mox: *Hac lege fidei manente, cætera jam disciplinæ & conuersationis, admittunt nouitatem correctionis, operante scilicet & proficiente vsque in finem gratia Dei.*

Aduertendum II. Nos de Antiquitate non

non quomodocunque & vniuerſaliter loqui, ſed tantùm in certo genere rerum, & reſpe-ctu ac comparatione religionum, ſub vno nomine *Chriſtianitatis* conuenientium; ſicuti conueniunt Catholici, hæretici & ſchiſmatici; non autem de antiquitate latiſſimè accepta, vt quoque in alijs ſocietatibus hominum Paganorum, Turcarum & Iudæorum reperitur, qui prorſùs Chriſtum reſpuunt.

III. Diſtinguimus etiam inter *conſuetudinem particularem*, quæ in vno duntaxat & altero loco exiſtit, & *Vniuerſalem*, quæ per vniuerſam obſeruatur Eccleſiam, juxta doctrinam S. Auguſtini lib. 2. contra Donatiſtas c. 7. vbi conſuetudinem de non rebaptizandis hæreticis ait, ex Apoſtolica traditione venire, & per vniuerſam Eccleſiam cuſtodiri. & lib. 5. c. 23. ait *Conſuetudo illa, quæ opponebatur Cypriano, ab (* Apoſtolorum *) traditione exordium ſumpſiſſe credenda eſt: ſicuti ſunt multa, quæ vniuerſa tenet Eccleſia, & ob hoc ab Apoſtolis præcepta bene creduntur, quanquam ſcripta non reperiuntur.*

Declaratur Tertullianus.

His NOTATIS ad locum illum Tertullia-ni dico 1. eum ibi non loqui de conſuetudine aliqua Vniuerſali Eccleſiæ in re fidei, ſed particulari hujus, vel illius loci quoad diſciplinam & conuerſationem; Igitur non ſimpliciter omnem conſuetudinem rejecit eo loco, ſed tantùm aliquam certã; nam ipſum agnouiſſe

agnouisse & admisisse consuetudines Vniuersales, & ab Apostolis propagatas, manifestum est ex lib. de corona milit. vbi ait: *Hanc* (observationem) *si nulla scriptura determinauit, certè consuetudo corroborauit, quæ sine dubio de traditione* (Apostolica) *manauit. Quomodo enim vsurpari quid potest* (vniuersaliter scilicet) *si traditũ prius non est? Etiam in traditionis obtentu exigenda est, inquis, Authoritas scripta. Ergo quæramus, an & traditio non scripta non debeat recipi? Planè negabimus recipiendam, si nulla exempla præjudicent aliarum obseruationum, quas sine vllius scripturæ instrumento soljus traditionis titulo, exinde consuetudinis patrocinio vindicamus.* Subjungit deinde plura exempla hujusmodi consuetudinum, quibus vtitur Ecclesia laudabiliter, absque vllo præcepto Scripturæ, vt est in baptismo *abrenunciatio diaboli, &c. Eucharistiæ in antelucanis cœtib⁹ de manu præsidentiũ sumptio; oblationes pro defunctis; pro natalitijs, & annua die. die Dominico non jeiunandum; de geniculis Deum illo tempore non adorandum, sicut nec à paschate ad pentecosten; item frontem crucis signaculo crebrius signandam, &c.*

Dico II. Etiamsi poneremus Tertullianum hoc loco aliquid secùs, quàm in lib. *de præscriptionibus*, & præter veritatem dixisse, nihil tamen id nobis officeret; quia jam tum in hæresin Montanistarum lapsus erat, vt id minus mirum videri deberet. Satis enim apertè

apertè paulò post initium lib. de veland. Virgin. (quem citat Dorschæus) c. 3. dicit: *Paracletum qui receperunt, veritatem consuetudini anteponunt.* Per *Paracletum* autem ipsum *Montanum* intellexit.

Dictum Symmachi.

Ad illud Symachi jam patet responsio ex *aduertendo* I I. Antiquitas enim, de qua hic agimus ex mente SS. Patrum, consideranda est respectu falsarum Ecclesiarum, quæ nomen Christianum vsurpant, non respectu Paganismi & Iudaismi, qui Christi nomen neutiquam profitentur.

Dictum S. Cypriani.

Etsi verò S. Cyprianus etiam de Apostolica consuetudine in verbis citatis loqui videatur, illam quoque ad veritatis regulam volens trutinari, tamen (vt respondet S. Augustinus lib. 2. de Bapt. contra Donatum c. 9. *Authoritas Cypriani magis sequenda est in vnitate; seruanda, quàm in Ecclesiæ consuetudine commutanda.* Nec pro exemplo afferendum est, quod ad erroris defensionem factum est.

Et hæc ad Dorschæi scrupulum.

EFFVGIVM

Reineri Seonati Ophthalmopolitæ, contra postulata P. Jodoci Kedd.

PRopoſuit ante annum P. Iod. Kedd. Soc. IEsv, Lutheranis duodecim poſtulata, cum omni modeſtia, & humanitate: ad quæ prædicans quidam Auguſtanus, qui ſe *Reinerum Seonatum*, *&c.* appellat reſponſum edidit; in cujus præfatione magis maledicum egit, quàm Veridicum, ideò illam prætereo. Ex ipſis autem poſtulatis duodecim, non niſi primum hoc loco attingam, tanquam *Principale* à quo reliqua vel dependent, vel certè jam in præcedentibus ſufficienter ſunt confutata.

PRIMVM POSTVLATVM P. Kedd.

Petitur, vt oſtendant Lutherani ex peculiari fundamento (quo non itidem pro ſe vti poſſint Zvvingliani, Caluiniani, Anabaptiſtæ, &c.) apud ſe eſſe veram Chriſti Eccleſiam, de qua in Symbolo dicimus: Credo vnam, Sanctam, Eccleſiam Catholicam.

RESPONSIO Reineri Seonati.

I. Fundamentum cognoſcendæ Eccleſiæ conſiſtere in ijs ſignis, quæ exprimuntur in ſcriptura,

ſcriptura. Igitur ex ſcriptura illud deſumendum; & eſſe per accidens, quod alij Sectarij & fanatici, ſe ijſdē ſcripturis tueantur, & ijſdem abutantur; id quod Lutheranis non officiat, cum cujuſlibet rei poſſit eſſe abuſus.

II. Ex ſcriptura hoc argumentum pro Lutheranis conficit. In quo cætu purum & clarum Dei verbum docetur & prædicatur, & ſacramenta juxta inſtitutionem Chriſti diſtribuuntur, ibi eſt vera Chriſti Eccleſia. Sed in Lutherana hoc fit. Ergo. Majorem probat; Quia nulla alia, inquit, ſigna Eccleſiæ oſtendit ſcriptura, quàm dicta, præſertim 1. Ioan. 5. v. 8. Tres ſunt, &c. vbi per ſpiritum Verbum Dei, per aquam baptiſmus, per ſanguinem Euchariſtia intelligitur.

III. Argumentum Patris Kedd, in Eccleſiam Romanam hoc modo retorquet. In quo cætu ea ſigna veræ Eccleſiæ aſſignantur, quæ etiam apud Turcas & Ethnicos reperiuntur, ille non poteſt haberi pro vera Chriſti Eccleſia. Sed in Eccleſia Romana hodierna non alia ſigna veræ Eccleſiæ Prætenduntur, niſi quæ æquè à Turcis & Ethnicis pro ſe prætendi & adduci poſſunt. Ergo hodierna Rom. Eccleſia non eſt vera Eccleſia. Majorem non negabit P. Kedd. Minorem nuper prolixè demonſtrauit Ioan. Henr. Hottinger Tigurinus, Concluſio per ſe ſequitur.

REFV-

REFVTATIO.

I. Deficit prædicans in limine probationis, & palmam Patri Keddio manifestè concedit. Postulat enim P. Kedd, vt ostendant Lutherani Ecclesiam suam esse illam vnicam, & veram, de qua in Symbolo dicitur, *credo vnam sanctam, &c.* & quidem per fundamenta propria, quæ Ecclesiam Lutheranam à quauis alia Ecclesia Christiani nominis distinguant: ita vt nullus, etiam hæreticorum cætus, possit illa sibi æquè accommodare. Hoc autem nequaquam præstat Reinerus.

Reinerus deficit in limine probationis.

Nam eodem argumento, quo probat Lutheranam Ecclesiam esse veram, probant & Caluiniani, & Schvvenckfeldiani, & Anabaptistæ, & Sociniani, & Antitrinitarij, & omnes ac singulæ aliæ sectæ suam Ecclesiam esse veram. Nulla enim est, quæ non dicat, se ex S. Scriptura veræ Ecclesiæ signa capere; nulla est, quæ non dicat; in sua Ecclesia puram Verbi Dei prædicationem, & legitima Sacramenta existere, & ideò suam Ecclesiam pro vera Christi Ecclesia habendam esse. Et tamen impossibile est omnes esse veras Ecclesias, cùm sint in plurimis & grauissimis fidei articulis inter se maximè pugnantes & contrariæ. Ergo Reinerus non probat suæ Ecclesiæ veritatem, peculiari & proprio fundamento, sicuti postulatum Patris Kedd requi-

Reineri argumentum seruit omnibus hæresibus.

rit, ſed Cothurnum nobis exhibet, qui omnibus pedibus aptari poteſt.

Signa rei debent eſſe notiora ſignata.

11. In confeſſo eſt apud ipſos etiam Aduerſarios, ſigna alicujus rei cognoſcendæ, debere eſſe notiora ipſâ re cognoſcenda: quia ex æquè ignoto ignotum patefieri non poteſt, vt vel ipſa notatio nominis demonſtrat. *Nota* enim eſt id, quod *notum* facit, ſiue in *notitiam* ducit. Debet ergo notius quid eſſe eo, cujus eſt *Nota*. Errat igitur Reinerus, qui talia ſigna ad veram Eccleſiam probandam adducit, quæ ſunt æquè aut magis ignota, quàm ipſa vera Eccleſia. Nam nec ſcriptura eſt notior ipſâ Eccleſia, ad quam ſcripturam Reinerus homines remittit, vt ex illa diſcant ſigna Eccleſiæ: nec pura prædicatio Verbi, & legitima ſacramentorum adminiſtratio.

Non Scriptura; quia authentîa Scripturæ non cognoſcitur, niſi per teſtimonium Eccleſiæ; teſte S. Auguſtino contr. Epiſt. fund. cap. 5. *Ego Euangelio non crederem, niſi me Catholicæ Eccleſiæ commoueret authoritas.* Item. *Si ad Euangelium te tenes, ego ad eos me teneam, quibus præcipientibus Euangelio credidi, &c.* Et paulo poſt. *Cuj libro* (loquitur autem de Actis Apoſtolorum) *neceſſe eſt credere, ſi credo Euangelio: quoniam vtramq; ſcripturam ſimiliter mihi Catholica commendat authoritas.* Conſentiunt S. Auguſtino plurimi Proteſtantium citati à Brerleio in Apologia Proteſtantium

pro

pro Romana Ecclesia, fol. 282. & seqq. Inter alios etiam affert Hooker i Angli de Ecclesiast. politia, lib. 3. f 146. testimonium. *Omnes scimus*: inquit: *primum motiuum externum, quo ducantur homines tanti scripturas sanctas æstimare, est authoritas Ecclesiæ Dei.* & fol. 102. *in primis scire interest, quosnam libros prõ Canonicis habere teneamur; quod quidem in confesso est, scripturæ ipsi impossibile esse docere.* Quod sic demonstrat. *Si vnus aliquis librorum Canonicorum cæteris testimonium perhiberet, ille tamen, qui cæteris testimonium daret, alium requireret, qui sidem faceret, & sic in infinitum, quousq; præter scripturas aliquid aliud inueniremus, quod nos certos redderet.* Quâ ratione Ecclesiæ authoritatem vnà nobiscum agnoscit. Quare notior est Ecclesia, quàm scriptura; quandoquidem per Ecclesiam debeo cognoscere scripturam, adcóque priùs necesse est cognoscere Ecclesiam; quæ, vt omnes norunt, jam extitit in Mundo, antequam scriptura fuit. Quot enim anni ab ortu Ecclesiæ, & Ascensione Domini jam elapsi fuerant. priusquam Matthæus, Marcus, & Lucas suum Euangelium & Apostoli suas Epistolas conscriberent? quos deinde quanto interuallo secutus est Joannes? Igitur euidens est priorem esse Ecclesiam Scripturâ. Ergo Ecclesia etiam priùs est cognita: ergo Ecclesiam tantùm cognosci ex scriptura falsissimum est.

Pura prædicatio, & vera administratio Sacramentorum non est notior Ecclesiâ verâ.

Non pura Verbi prædicatio, &c. Cùm enim quærimus quæ sit vera Ecclesia, quid aliud quærimus, quàm in qua Ecclesia Verbum Dei purè, & sine admixtione erroris prædicetur, & Sacramenta juxta institutionem Christi administrentur? De hoc namque non minus dubitatur, quàm de illo. Quid enim hodie in tanto numero diuersissimarum Ecclesiarum & Religionum homines magis cruciat, & solicitos habet, quàm quod vident tam variè & contrariè Verbum Dei prædicari, & Sacramenta administrari, & nesciunt, in quonam cætu ista rectè & ex mente Dei fiant? Est ergo non minùs ignotum, quæ sit pura doctrina, & quæ sint legitima Sacramenta, quàm quæ sit vera Ecclesia: Non possunt igitur hæc esse signa cognoscendæ veræ Ecclesiæ homini ad Ecclesiam veram adspiranti, tametsi illa cum Ecclesia vera infallibiliter, & necessariò sint conjuncta; Quandoquidem non potest esse vera Ecclesia, quæ Verbum Dei purè non prædicat, &c. nec potest non esse vera Ecclesia, quæ Verbum Dei purè prædicat, &c. aliud enim est, esse signum rei, aliud est necessariam cum re habere connexionem, tanquam illius propriũ: quia proprium est capitis & necessaria illius functio, conficere Spiritus animales, quibus nerui totius corporis irrorantur, & ad motum ac sensum disponuntur; nemo tamen

men dixerit, hoc esse signum, seu notam capitis; cùm sit res occultissima, & majori parti hominum incognita; qui longè alia signa requirunt, vt caput hominis & à reliquis membris corporis, & à capitibus aliorum animalium dignoscant & discernant.

III. Si necessarium est ad veram Ecclesiam cognoscendam, vt quis priùs cognoscat aliquam Ecclesiam habere puram doctrinam Verbi, &c. vel id est necessarium quoad omnes fundamentales articulos fidei, vel tantùm quoad aliquos, quidquid in reliquis illa Ecclesia credat. Si posterius: quælibet Ecclesia hæreticorum, fanaticorum & Enthusiastarum erit vera Christi Ecclesia; quod falsum, quia in qualibet reperiuntur aliqui veri articuli fundamentales fidei.

Necesse est, vt cognoscantur omnes fundamentales articuli fidei.

Si prius; tunc impossibile est majori parti hominum cognoscere veram Ecclesiam. I. Quia secundùm aduersarios vera Ecclesia ex sola scriptura debet & potest cognosci. Atqui major pars hominum, scripturam legere non potest; præsertim textus originales Græcæ & Hebraicæ linguæ, ad quos crebrò Nouatores prouocant.

II. Talia etiam longissimè excedunt captum rudis & indocti populi, (licet scripturas legere posset) qui quæstiones fidei graviores discutere, & quæ doctrina pura sit, quæ impura, nequit discernere. Neque di-

cas, illum à pastoribus suis posse edoceri; quia sic secundùm aduersarios populus non crederet fide diuinâ, sed fide merè humanâ, quam dicunt fallacem ac mendacem esse: quia inquiunt, *omnis homo mendax.* Deinde si à pastoribus, litterarum rudes, & legere nescij sanam doctrinam discere debent, vt Caluinus lib. 4. cap. 1. sect. 5. & alij fatentur, euidens est, scripturam non esse notam cognoscendæ Ecclesiæ.

III. Ad hoc, vt quis cognoscat prædicationem Verbi, & administrationem Sacramentorum esse ab omni errore fundamentali immunem, adeóque puram, &c. necesse est, vt quis priùs cognoscat omnes quotquot sunt fundamentales errores, tam in doctrina quàm Sacramentis; alioqui quomodo posset deinde collatione factâ judicium ferre? Sed hoc est apud Protestantes impossibile: qui hactenus nunquam de numero ejusmodi fundamentalium errorum *in concordiam redigi* potuerunt.

Quæstio aduersarijs propo sita.

IV. Quæro: vnde cognoscere possint homines, quæ sit pura, quæ impura prædicatio Verbi? Quæ legitima, quæ non legitima Sacramenta? Ex scriptura? at scripturam vnus sic, alius aliter interpretatur. Vnde ergo mihi constat, quæ sit genuina scripturæ interpretatio? Si dicas, ex instinctu S. Spiritus? Hoc etiam dicunt alij, sensu contrario

scriptu-

ſcripturam interpretantes. Cuj denique credes? Tibi ipſi? Sed cur Tibi potiùs, qui nec ingenio, nec doctrina, nec authoritate pares multis alijs, tibi contradicentibus & pariter inſtinctu Spiritus S. gloriantibus?

De ipſa ſcriptura ſunt plurima dubia.

V. De ipſa ſcriptura ſunt plurima dubia, eáque grauiſſima, ſiue Canonem & authentîam, ſiue integritatem textus, ſiue ſenſum & interpretationem illius ſpectes, quæ omnia & ſingula, niſi priùs tibi ſint liquidiſſima & prorſùs indubitata, nec puritatem prædicationis Verbi, nec legitimam Sacramentorum adminiſtrationem rectè vnquam cognoueris. Vt taceam adhuc plurimas eſſe controuerſias fidei non leues, quæ ex ſcriptura decidi non poſſunt. Quotus quiſque autem eſt ex populo, qui tanto acumine intellectus polleat, vt omnia iſta ſatis examinare ac penetrare poſſit, abſque manifeſto erroris periculo?

Notabilis Inſtantia aduerſariorum contra Catholicos.

Sed contra quartum eſt inſtantia tam Lutheranorum, quàm Caluinianorum, qui dicunt, quemlibet fidelem in hujuſmodi quæſtionibus eſſe Iudicem; & hoc judicium de rebus fidei, non ſolùm permitti, ſed & imperari vnicujque. Nam 1. Ioan. 4. dici, *probate Spiritus, ſi ex Deo ſunt.* 1. Theſſal. 5. *omnia probate, quod bonum eſt tenete.* 1. Corinth. 2. *Spiritualis omnia judicat, & ipſe à nemine judicatur.* Matth. 7. *attendite à falſis Prophetis, &c.* Joan. 7.

Si quis voluerit voluntatem ejus facere, cognoscet de doctrina, vtrum ex Deo sit. Joan. 10. *oues illum sequuntur, quia sciunt vocem ejus, alienum autem non sequuntur.* 1. Corinth. 10. *Judicate quæ dico.* Actor. 17. *Beroënses susceperunt verbum cum omni auiditate, quotidie scrutantes scripturas si hæc ita se haberent.* Addunt & hanc rationem Cùm enim in fidei causa de propria cujusque salute agatur, nec alius in judicio pro te, vel me respondurus aut ad infernum iturus sit; incumbit vnicuique, vt ipsemet dispiciat & quæ ad æternam salutem spectant, examinet.

Dubium graue, sed vtile.

Ad hanc INSTANTIAM RESPONDETVR per distinctionem. Vel enim res fidei proponuntur ab aliquo authoritatem infallibilem habente, vt à Christo, Apostolo, Ecclesia; vel non. Si posterius; tum nulli prohibetur, quin possit de ejusmodi dubio religionis judicare, vel alios consulere; juxta monitum 1. Ioan. 4. 1. Thessal. 5. 1. Cor. 2. & Matth. 7. Si prius, iterum distinguimus. Vel is cuj res fidei proponuntur, jam notam habet & perspectam proponentis infallibilem authoritatem, vel non. Si sic: parere debet; non judicare; ita statuente Christo, Matth. 18. *Si Ecclesiam non audierit, &c.* Nec refert, quod de tua salute, deque tua damnatione agatur. Hinc enim non sequitur, quòd debeas examinare decreta Ecclesiæ, vel alterius

rius infallibilem authoritatem à Deo habentis, si de ea tibi constet : quia tunc tantùm debes examinare credenda, cùm periculum est tuæ salutis. At posito, quòd agnoscas, Ecclesiam esse infallibilem, nullum adis periculum salutis. Ergo non opus est tuo examine. Si verò tibi non sit perspecta auctoritas proponentis, permittitur judicium tam de auctoritate proponentis, quàm de re proposita, vt judicat Christus, Joan. 7. & 10. & fecerunt Beroënses, qui licet libenter audierint Verbum Dei, tamen nondum crediderunt, nec infallibilem Pauli authoritatem agnouerunt, cùm ad scripturæ normam, illius doctrinam exigerent, vt cum Bellarmino opusc. contra DD. Venetos bene etiam notauit eruditus quidam nostræ Prouinciæ Theologus, & colligitur ex ipso textu. Nam post inquisitionem scripturæ, dicuntur multi ex ijs credidisse. Corinthij quidem, ad quos scripsit Apostolus, erant fideles, sed cùm ait loco cit. *Judicate, quæ dico*, non significat *de jure* illis competere facultatem judicandi sua dicta, sed *figura concessionis* vtitur, quâ ad significandam suæ veritatis fiduciam, depositâ quasi authoritate suâ, illis permittit judicium.

Compendiosus conuersionis modus

Hoc si illi, qui de fide dubitant bene aduerterent, citò se à suis dubijs liberarent. Ante omnia enim indagarent, num Ecclesia Christi sit infallibilis? quo cognito, ex notis

maximè in Symbolo expreſſis (*Vna, ſancta, Catholica*, de quibus plura dixi in Manuali Lutherano, fol. 760. & ſeqq.) veram Eccleſiam facilè deprehenderent: & tunc ceſſaret omnis dubitatio de cæteris articulis. Statim enim ita concluderent. Eccleſia eſt infallibilis: Ergo quidquid illa credendum proponit, eſt verum. Ex quo Catholici magnam capiunt conſolationem & ſecuritatem: è contrario Proteſtantes diffidentiam & perplexitatem, dum in perpetuo metu ſunt, ne ipſorum Eccleſia erret, quandoquidem docent. Eccleſiam errare poſſe; & ſic nunquam tuti & ſecuri ſunt in fide, ſuopte judicio.

Ex hīs facilè apparet, quid Auguſtano Præconi reſpondendum.

Reſpondetur Reinero Auguſtano Præconi.

Ad I. Dico I. Signa veræ Eccleſiæ ab eo prolata ex ſcriptura, non eſſe ſigna; quia non ſunt notiora re ſignificata. ſed æquè ignota.

II. Vera Eccleſia habuit ſigna, & fuit cognita, antequam in Mundo exiſteret S. Scriptura. Ergo ſigna Eccleſiæ non ſunt neceſſariò ex ſcriptura deſumenda. Antecedens probatur; tùm quia jam dictum, ſcripturam N.T. primùm multis annis poſt conſtitutam à Chriſto & Apoſtolis Eccleſiam fuiſſe conſcriptam: tùm quia etiam poſt nouum Teſtamentum jam editum, adeò ſæuijt perſecutio, & tanta fuit manuſcriptorum inopia, vt

mul-

multæ gentes (teſte Irenæo, lib. 3. cap. 4.) in Chriſtum crediderint, *ſine charactere vel atramento.* An etiam tunc temporis homines Eccleſiam per ſcripturam cognoſcere debuerunt? An non *ordinem ſecuti ſunt Traditionis Eccleſiæ*, vt ibidem loquitur Irenæus dicens, *plenissima aduerſus omnes hæreticos contradictio eſt* TRADITIO?

III. Ad propoſitam quæſtionem Patris Kedd nihil reſpondet Reinerus. Quia petit P. Kedd peculiare fundamentum, quo probetur in ſpecie Lutheranam eſſe veram, & vnam illam Eccleſiam, expreſſam in Symbolo; quæ diſtinguatur à quauis alia. Ille verò aſſignat fundamentum ambiguum tantùm in genere, quo vtuntur etiam alij omnes ſectarij pro ſua Eccleſia.

IV. Non ſatisfacit Reinerus dicendo, hoc eſſe *per accidens*, & fieri à ſectarijs per abuſum. Hoc ipſum enim regerunt quoque alij ſectarij Lutheranis, & dicunt ipſos Lutheranos ſcripturis abuti, *per accidens.* Vtri parti jam eſt credendum? habent enim alij eandem ſcripturam, quam habent Lutherani: putant etiam ſe non minus ſcripturam intelli-

Reinerus multis verbis, & magno Conatu, nihil reſpondit.

affirmant de Lutheranis. Si ergo Lutherani volunt ſolidè probare ſuam Eccleſiam eſſe veram, oportet vt id faciant argumentis prorijs & ſpecificis, quibus verè demonſtretur, ipſorum Eccleſiam eſſe illam vnicam & ſolam, de qua in Symbolo Apoſtolico; alioquin qui dubitat, nunquam venire poteſt in notitiam veræ Eccleſiæ. Et hoc eſt, quod vrget P. Kedd, in quo *hæret prædicanti aqua.*

Ad II. Patet ex dictis, ſyllogiſmum eſſe merè illuſorium, fruſtratorium, & petitionem principij, dum in eadẽ linea, ſerra quaſi perpetuò reciprocatur, & quaſi per gyrum, idem per idem demonſtratur, proque argumento probationis ſumitur id, quod eſt in quæſtione. Cùm enim quæro, vbi ſit vera Chriſti Eccleſia, eo ipſo etiam quæro; in quo cætu ex tam multis Verbum Dei purè prædicetur, & Sacramenta legitimè dentur? ſicut ſi quæram, vbi campana ſonet, reuera etiam quæro, vbi malleo campana percutiatur; igitur ineptum fuerit, ſi hoc reſponſum dederis.

Ad III. Eſt grauiſſima calumnia, ſigna veræ Eccleſiæ, quæ in Romana Eccleſia hodie prætenduntur, æquè poſſe à Turcis & Ethnicis prætendi pro ſe: præſertim ſi notæ noſtræ Eccleſiæ *collectiuè* ſimul accipiantur: etſi enim fortaſſè vnam aliquam ſeorſim aliquo modo in ſpeciem, & valde imperfectè ſibi accomodare

dare poſſent, omnes tamen non poſſent: de quibus plura in Manuali Lutheranorum parte 3. & in Antiquitate Papatus parte 1.

Negamus etiam ab Hottingero, Zvvingliano, cum omni ſua plurimarum linguarú, quam traſonicè jactat peritia, Catholicis hactenus vel pilum de ſtatione fuiſſe motum. Nos ſanctos Patres & Concilia à Spiritu ſancto edocta pluris meritò facimus, quàm Iudaicos Rabbinos, & Rabulas Muſelmannicos Chriſtianorum hoſtes, quorum ſordidis lacunis innatat Hottingerus; vtinam in ijs non ſubmergatur!

Iſta pro primo *poſtulato* Reuerendi Patris Kedd.

Quæ de reliquis, idem prædicans Auguſtanus chartis illeuit, dudum ſunt à Catholicis protrita.

CORONIS.

Hæc ſunt, quæ veritatis cupido Lectori, per hanc *Quæſtionem vexatam*, ob oculos ponere volui, etſi breuia & pauca ad amplitudinem materiæ; ſuffectura tamen, vt videant Proteſtantes, quàm miſeranda ſit ſua Eccleſia, in

Quamuis autem juſto judicio Deus hæc ita fieri permittat, non tamen putandum eſt, ipſum Eccleſiæ ſuæ curam adeò abijcere, aut pati velle, vt opprimatur; ſed potiùs ita moderatur omnia, vt quo magis illa impetitur, eò magis emergat, hoſtibúſque triumphatis illuſtrior euadat. Manet enim inconcuſſa illa ſeruatoris ſententia; *Portæ inferi non prævalebunt aduerſùs eam*; cujus fundamenta in montibus ſanctis; cujus radices in cœlis ſunt fixæ, quò humana vis nulla penetrare poteſt. Innumerabiles ſunt muri ejus, qui nullo hoſtili robore conquaſſantur. Si oportet hæreſes eſſe, ideò oportet, vt qui probati ſunt, manifeſti fiant, non vt collidantur.

Quare cùm nihil planè, aut perparùm interſit, quando extra *Arcam Noë*, (hoc eſt, extra Catholicam Eccleſiam) vagaris, in quâ cymbâ, num Caluini, num Lutheri, num Schvvenckfeldij, num Socini aut Photini, num Calixti aut Hülſenmani, (nulla quippe harum naufragium euadit) per hoc turbulentum mare circumueharis, per viſcera Miſericordiæ Chriſti Te, mi Lector Acatholice, oro, perque ſalutem animæ tuæ obteſtor, vt de reditu ad maternam domum (hoc eſt, ad *matricem* Catholicam & Romanam Eccleſiam) maturè cogites, ſalubriérque cum bono Deo, concludas. *Non enim habebit Deum Patrem, qui Eccleſiam non habet Matrem.*

S. Cypria-

S. Cyprianus de Vnit. Eccl. Et, *Quisquis ab hac Catholica Ecclesia fuerit separatus, quantumlibet laudabiliter se viuere existimet, hoc solo scelere, quod à Christi vnitate disjunctus est, non habebit vitam, sed ira Dei manebit super eum;* inquit S. Augustinus, Epist. 102. ad populum factionis Donatianæ. Idem ait: *Neq; hoc baptisma,* id est Martyrium) *hæretico prodest, si quamuis Christum confessus, extra Ecclesiam fuerit occisus. Hoc verissimum est: Extra Ecclesiam quippe oc cisus charitatem non habuisse conuincitur, de qua Apostolus dicit, 1. Corinth. 13. v. 3. Etsi tradidero corpus meum, vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest,* de Baptismo contra Donatistas lib. 4. c. 17. Tomo 7. Ibid. c. 18. addit. *Salus extra Ecclesiam non est: quis neget? & ideò quæcunq; ipsius Ecclesiæ habentur, extra Ecclesiam non valent ad salutem, siue aliud sentiant, quàm veritas habet, siue ab vnitate præcisi, non colligant cum Christo, sed spargant. Nam de hæresibus dicit Apostolus ad Galat. 5. v. 22. Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt.*

Memoranda sententia S. Cypriani & sancti Augustini contra eos, qui se credunt extra Ecclesiam saluandos, inter quos est Conringius.

F I N I S.

Errata.

In Frontiſpicio, *Eccleſa.* l. Eccleſia.
f. 2. v. 2. *Cronol.* l. chronol.
f. 19. v. 11. *Geſaias.* l. Iſaias.
f. 23. v. 25. *ſoccеſſionem* l. ſeceſſionem.
f. 45. v. 19. *presbyterij* l. presbyterij.
f. 51. propè finem; *veò.* l. verò.
f. 55. v. 7. *virgine monachali.* l. origine monachatus.
Ibid. v. 9. *aſpice.* l. apice.
f. 72. v. 14. *n minimè.* l. minimè.
f. 74. v. 10. *vetri.* l. veteri.
f. 78. v. 10 *apocalipſ.* l. apocalypſ.
f. 90. v. 20. *quæreretur.* l. quereretur.
f. 103 v. 21. *putarerni.* l. putarent.
f. 109 v. 14. *peculialiter.* l. peculiariter.
f. 111 v. 7. dele, *per fidem.*
f. 117 v. 4. *item.* l. Ite.
Ibid. v. 12. *corpore.* l. corpore Eccleſiæ.
f. 122 circa finem. *iſpo* l. ipſo.
f. 125. v. 24. *Cathechet.* l. Catechet.
Ibid. v. 27. *ſaparari* l. ſeparari.
f. 133. v. 16. poſt illa verba, *eſſe Externam,* adde, *non autem internam.*
f. 141. v. penult. *Bapiſmi* l. Papiſmi.
f. 147. v. 5. *infimimos,* l. infimos.
f. 195. v. 23. *Eccleſiam* l. Eccleſia.
f. 160. v. 2. *fol 33. 4* l. fol 334.
f. 162. v. 9. *mendecia.* l. mendacia.
f. 166. v. 3. *innummerabiles.* l. innumerabiles.
f. 167. *horum.* l. hominum.
f. 174 v. 27. *Bapiſmi.* l. Papiſmi.
f. 189. v. 26. *diſertè* l. directè.
f. 191. circa finem. *imprudenter.* l. impudenter.
f. 194. v. 25. *h. l Cornelius.* l. ait h. l. Cornelius.
f. 202. v. 18. *Apoſtololos.* l. Apoſtolos
Ibid. v. penult. *diſſertiſſimè.* l. diſertiſſimè.
f. 203. circa finem. *linguis &.* l. linguis & nationibus.

f. 204.

f. 204. v. 23. *impossibile est non eam falli*: dele *non*.
f. 206. v. penult. *& cælestibus*, l. tot cœlestibus.
f. 210. v. antepen. *reijcit*. l. reijci.
f. 211. *Elelectionem*. l. electionem.
Ibid. v. antepen. *deponitur*. l. deponitor.
f. 222. v. 10. *communioni*. l. communione.
f. 249. v. 26. *doceat*. l. deceat.
f. 253. v 14. *postorale* l. pastorale.
f. 262. v. 12 *authoritharis*. l. authoritatis.
f. 266. v. 1. *primodio*. l. primordio.
Ibid. post med. *Oppuganrur*. l. Oppugnantur.
f. 271. v. 15. *Ad VII*. l. Ad. II.
f. 272 v. 7. *vobabulum*. l. vocabulum.
f. 274. circa finem. *Episcopum*. l. scopum.
f. 275. v. 13. *missit* l. misit.
f. 278. v. 5. *deuastrauerint*. l. deuastauerint.
f. 284. v. 10. *deteminatum*. l. determinatum.
Ibid. v. 21. *alia non obtrudere*. dele.
f. 286 v. 23 *illuminatus videri*. l. illuminatus videri non debet.
f. 290. v. 24. *aliquod* l. aliquid.
f. 291. v. penult. *innumera*. l. innumera.
f. 296. v. vlt. *palperit*. l. palpitet.
f. 297. v. 7 *habemus*. l. habeamus.
f. 307. v. 23. *gladius vulnerat*. l gladius Menzerum vulnerat.
f. 308. v. 27. *imprudentissimè* l impudentissimè.
f. 309. v. 8 *crica*. l circa.
f. 373. v. vlt. *Mariconem*. l. Marcionem.
f. 381. v. 11. *Mariconem*. l. Marcionem.